VITA

B. Auguſti Hermanni

FRANCKII, &c.

K Francke (A. H.)

VITA

B. AUGUSTI HERMANNI FRANCKII,

S. S. Theologiæ in Academia *Fridericiana*

Nuper Professoris eximii;

Nec non

V. D. M. apud *Glaucham*, &c.

prope HALLAM MAGDEBURGICAM:

Cui adjecta est,

Narratio Rerum Memorabilium in Ecclesiis Evangelicis per GERMANIAM &c.

Revisa, et, Cura

SAMUELIS MATHER, A. M.

et Ecclesiæ Secundæ apud BOSTONUM *Nov-Anglorum* Præpositi,

Cum DEDICATIONE ejus,

Edita.

BOSTONI, Nov-Anglorum, MDCCXXXIII.

Typis SAMUELIS KNEELAND et TIMOTHEI GREEN, pro THOMA HANCOCK, ad Insigne Sacri Codicis coronati, Bibliopola.

46
10. 23
425

EXCELLENTISSIMO

Totius Nov-Angliæ PRÆFECTO;

Viris itidem vere reverendis ac honoratiſſimis,

Cum Eo conjunctim,

Collegii Harvardini apud *Cantabrigiam* noſtram Curatoribus et Clavum tenentibus;

Necnon

Studioſæ Juventutis in eodem Athenæo Inſtitutoribus fideliſſimis,

Salutem ſincere dico.

Vir Spectatiſſime, non minus Republica literaria quam Rerum Civilium Peritia conſpicue,

Admodum reverendi ac honoratiſſimi Domini, de Eccleſiis ſicut et de Patria veſtra optime meriti,

Viri quoque lectiſſimi, Fautores et Amici nimium dilecti,

Querela fuit celeberrimi FRANCKII, "*Dum mordicus tenetur CHRISTUS,* "*dum Clypei inſtar* Orthodoxia *ob-*
Q "*tenditur, omnem interea CHRISTI, ac*
"*Servorum ejus, Imitationem, omne*
"*Sanctimoniæ veræ ac ſpiritualis ſtudi-*
"*umin Exilium agi et exterminari.*"*

Sed, ut ille poſtea ſcribit in eodem Programmate, "*quis non ſub* Orthodoxiæ *Larva et Pietatis quali-*
"*cunque fuco malignum ſpiritum, ex tali ungue Leo-*

* *Public. Program.* VI. De Calumniis injuſte ſparſis in Dei Servos.

nem

" *nem infernalem, cognoscat et deprehendat ? Quis* " *tam amens ac stupidus, ut sibi persuadeat Zelum* " *illum esse Divinum et propter DEI Gloriam Homi-* " *numque Salutem* &c ? "

Imitatio Christi sicut et eorum, *qui a longe sequuntur vestigia ejus semper adorantium*, ad Maturitatem pervenit vere Christianam : Nec *Gloria in Excelsis DEO ac inter Homines Benevolentia*, in quibus Religio Domini nostri unice continetur, quam ex hac Radice, Imitatione scilicet Christi et servorum ejus, assurgere felicius possunt et efflorescere.

Nefarii vero ac simulationi dediti ; hi, *omni dolo pleni et ad quodvis scelus facilitate, filii Diaboli, Justitiæque omnis Hostes acerrimi, non cessabunt pervertere vias* Domini *rectas*, nec servorum ejus fidelium Tramites insectari. Hinc se res habet, Religionem veram ac minime fucatam in Bivio esse nec expetitum in Mundo facere profectum : Semper enim improbi et Rationis expertes Defectus ac Errores eorum qui Christianam amplexi sunt Institutionem eam adversus, argumentum tanquam apodicticum, afferre effrontes audent ; *Effrontes* aio ; Religio etenim Jesu non solum *omnem Iniquitatem et Impietatem Filiorum Hominis qui Veritatem in Iniquitate detinent* vehementer prohibet, verum etiam *ab omni specie Mali* jussit *abstinere*.

Verissimum equidem est, Viros optimos Defectibus nonnullis, malisque aliquando laborare Affectibus, Vitia in iis nonnumquam evadere fortia nec non atrocia ad Facinora identidem illabi : *Illuxit* autem *Gratia illa salutifera*, Evangelium scilicet, *erudiens nos ut abnegata Impietate mundanisque Cupiditatibus temperanter et juste et pie vivamus in presenti seculo : Omnes* etiam qualescunque *Nomen JESU CHRISTI nominantes ab omni Injustitia abscedere* præcipiuntur.

Quandoquidem vero Viri optimi vel a Delictis vel Defectibus non sint prorsus immunes ; *in multis etenim impingimus omnes* : Prescriptio itaque illa in hoc Loco Jure obtinet, *Nos, sicut Viri optimi sunt JESU CHRISTI*

CHRISTI Imitatores, eorum emulos esse debere: Nec equidem vel Passum unum in Vestigiis eorum, præter hanc Regulam, rectum foret incedere.

Hoc igitur operæ pretium est cognoscere, eos Reprehensione esse dignos, qui aliorum consilium quorumcunque præter voluntatem CHRISTI estimandum censent et qui Exempli negligentes ejus alios imitantur.

Non mihi par videtur neque fit consentaneum vel celeberrimum FRANCKIUM CHRISTO aut præferre aut æquiparare: Nec exemplum ejus, nisi nos omnia fallunt, præter Regulam prædictam ad imitandum hic aliis proponitur.

Hoc vero utique non scire non possumus, Celeberrimum FRANCKIUM DOMINI nostri beati ac Redemptoris studiosissimum Sectatorem fuisse et enixissimum. Quomodo *CHRISTI Amor eum constrinxit* quis exprimere valeat? *Bone JESU!* Te non præterit *Charitatem ejus rectissime fundatam, Zelum pro JEHOVA Exercituum permagnum, Conatus Benefaciendo indefessos, quot ac quanta Negotia sustinuit fidissimus, quam utiliter Horas collocavit! Quis*, Beate Redemptor, *tam libenter et sumtus protulit et etiam Seipsum dedit pro Animabus? Quis, ex Labore Animæ suæ videns, magis fuit unquam delectatus ac saturatus? Quis præter Te*, O CHRISTE, vel Apostolos tuos, *DEO opt. Maximo plus attulit Honoris? Quis plus Hominibus Benevolentiæ spectandum præbuit? Quis interioris Magnificentia Fidei eo magis valuit? Denique, quis tam stabilis, tam immotus et in opere* DOMINI *semper eminens!*

Sed tenuis noster Calamus, etsi Honoris cupidus, ad Descriptionem viri beati non sufficit: Ad vitam itaque ejus, veram quaquaversus ac gratam, decet ut vos rejiciam. Mihi transmissa fuit vita per *Filium* celeberrimi FRANCKII, Amicum mihi desideratissimum, qui, sicut in variis Negotiis, in Doctrina etiam ac Virtutibus amplissimis *Patrem sequitur, et passibus æquis.*

Magnopere me delectat, Fratrem meum pretiosum nimis, Patrem suum *Patris* mei Amicum dilectissimum,

beatum

beatum prædicandi inter Nov-Anglos ſic præbuiſſe Occaſionem: *Miniſterium etenim Functionis hujus non ſolum ſupplebit quæ ſanctis deſunt, ſed etiam per multas Gratiarum Actiones apud DEUM exhibitas*, inter nos *per Approbationem hujus Miniſterii exundabit.*

Vobis vero, Viri honoratiſſimi, doctiſſimi, piiſſimi ac fraterrimi, hanc nuncupo vitam: Sicut etenim Academiæ noſtræ exiguæ præeſtis, clavum ejus tenetis ac in teneras apud eam Juventutis Mentes Inſtitutiones veſtras infunditis; quibus aliis vitam hanc viri celeberrimi Muneribus Academicis celſiſſimis nuper ſeduliſſime fungentis dicare potui? Nec mihi in dubio eſt, ſicut et *Mihi*, Vobis etiam *Vitam egregii FRANCKII Narrationemque Rerum memorabilium &c. annexam* pergratam, ac ſtudioſæ Juventuti, Theologiæ præſertim ſtudioſis, utiliſſimam fore.

Quid itaque ſupereſt, Viri optimi, niſi oremus cum digniſſimo JOACHIM. JUSTO BREITHAUPT, *in Lect. Parænet. ſuper Obitum ejus*?

" Miſericors Æterne DEUS! Da nobis Gratiam, " ut ſervi tui Memoriam porro ſat digne conſerve- " mus, reminiſcentes quomodo Anima ejus, quæ nunc " in Manu requieſcit tua laborarit, quomodo viderit " cum voluptate, quomodo ſaturata ſit. Conſerva " Tu ejus *Domum* relictam, ejuſdem que *Inſtituta*, ut tuæ " Providentiæ documenta, omni cum *Benedictione*! " Fac Regimine *Spiritus Sanctiſſimi* intueamur De- " functi exitum ita, ut imitemur illius Virtutem et " Gratias Tibi cum ipſo agamus, viſuri illius Gloriam " et ſaturandi cum ipſo in æternum! Exaudi nos " per et propter CHRISTUM! AMEN!

Cum Veneratione ac Ardore juſtiſſime debito ſubſcribo,

Præſtantiſſime D. Gubernator,

Admodum Reverendi ac Honoratiſſimi Domini,
Fautores denique et Amici cariſſimi,

Veſter obſequentiſſimus ac humillimus Servus

SAMUEL MATHER.

VITA
B. Auguſti Hermanni
FRANCKII.

INTRODUCTIO.

VITAM B. Aug. Herm. FRANCKII, Theologi incomparabilis, compendio deſcripturi, hanc rationem ſequemur; ut primo, quæ ipſe de ſe paullo ante obitum ſcripta vitae monumenta reliquit, in linguam latinam transferamus: nam et locupletiorem eo ipſo teſtem non habemus; etea, quae de vitæ ſuæ rationibus memoriæ prodidit, ita ſunt comparata, ut ſine preclaro fructu et inſigni ad religioſae mentis curam acceſſione legi non poſſint. Deinceps, ubi ipſe narrationis filum abrupit, ibi nos illud producemus; ea maxime, quae ad diuinae laudis concelebrationem pertineant, litteris breviter mandaturi.

Pars Prima, a Cel. *FRANCKIO* Conſcripta.

LUBECÆ, Civitate imperiali, et emporio celeberrimo, d. 12. Martii, anno ſalutis 1663. natus ſum, patre Joanne Franckio, juris utriuſque Doctore, Collegii Canonicorum Raceburgenſium ſupremi, et ordinum provincialium ejuſdem principatus ſyndico, piſtoris Lubecenſis filio; matre Anna Gloxinia, Dauidis Gloxinii Conſ. Lubecenſis filia: a quibus parentibus meis, ut ſacro fonte lavatus Chriſto conſecrarer, mox curatum fuit. Poſt autem, quam tertium agens annum cum parentibus Gotham commigraui; quippe Dux Ernestus Pius patrem meum a conſiliis Aulae et juſtitiæ ſibi eſſe volebat: operam dederunt parentes, ut a teneris pietatis et litterarum principia imbiberem; et, quod ludo publico propter ætatis imbecillitatem aliiſque de cauſſis intereſſe non poſſem, præceptorum domeſticorum diſciplinae me tradiderunt. Verbi ſui amorem ejuſque annunciandi ſtudium et cupiditatem Deus ab incunabulis animo inſeverat: quod cum multis ſignis proderetur, jam tum ab eo tempore parentes me theologiae ſtudio conſecrabant, paterque fidelem mei et prudentem agens cuſtodem hanc mentem mihi diligenter confirmabat. Poſt ejus vero obitum, qui in annum 1671. incidebat, cum aliis quibuſdam pueris, per nonnullos annos, a magiſtris privatis inſtitutus, ex illo, quamvis paucorum, conſortio et conſuetudine quotidiana, non parum detrimenti, id quod poſtea animadvertebam, paſſus fui: animus enim meus per luſus pueriles, qui licet innocentes omnibus videantur, tamen, niſi probe obſerventur pueri, numquam ſeſe intra modum continent, valde a Deo ad annum ætatis uſque 12. abalienatus fui.

Egregium mihi exemplum Anna, ſoror beate defuncta, praeivit, cujus religioſae ſanctitatis ſtudium, fidem, charitatem, animi demiſſionem, verbi divini amorem æternæque vitæ deſiderium cum aliis virtutibus cognovi, cujuſque ſermone ad inſtruendum animum compoſito ad honeſtatis Chriſtianae culturam vehementer excitatus fui. Ita certe commovebar, ut inciperem vanitates adoleſcentiae conſuetas, ut eas vix peccata eſſe agnoſcerem, deteſtari, et me a conſortiis nihil ſolidi fructus habentibus, ludicris exercitationibus et aliis rebus, quibus tempus perditur abſtinere, atque melioribus et utilioribus intentus eſſe: quod animi propoſitum ut neceſſarii mei adjuvarent, ſeparatum a ceteris mihi conclave dabant, in quo Deum religioſe ſingulis diebus advocabam, jam tum vovens ſupremo patri me univerſam meam vitam ipſius honori eſſe conſecraturum.

Deus

Deus autem, quæ eſt ejus benignitas, adoleſcentiæ errata mea condonans, ita induſtriam in litterarum ſtudiis poſtram ſuccedere jubebat, ut annos natus tredecim alumnis claſſis ſelectæ in Gymnaſio Gothano adſcriptus, anno ætatis decimo quarto poteſtatem in Academiam proficiſcendi publice nanciſcerer : quamquam in duos propemodum annos propter nimiam adoleſcentiam, conſilio meorum, hic abitus fuerit dilatus. Hoc in divini nominis gloriam de univerſæ vitæ meæ curſu profitendum mihi eſt ; quanto ſtudioſius Deum coluerim, quantoque minus animum rerum vanarum ſtudio polluerim, tanto eum plus incrementi et ſucceſſus, cum in reliquis rebus, tum in ſtudiis praeſertim, mihi largitum fuiſſe. Contra quo magis a Deo alienus et mundo deditus fui, tanto magis per ambages aberravi, et magno opere parum profeci, id quod dies me deinde docuit, eamque opinionem ex animo exemit, qua mihi perſuadebam, me optima via inceſſiſſe et præclaros profectus feciſſe. Timorem igitur Domini ſapientiae eſſe initium vel damno meo ſum expertus. Neque ſatis eſt teneram ætatem ad ſanctum aeterni numinis cultum inſtitui : ſed in tempore etiam, ut ſibi ab inſidiis mundi caveant, oportet eam commoneri : exempla namque ubivis obuia docent, adoleſcentes ingenio probo et modeſtia laudabili, ad omnem honeſtatem educatione conformatos, cum ex diſciplina domeſtica dimiſſi, in ſcholis aut Academiis complurium conſortio implicantur, malis exemplis facile corrumpi, et quaſi a torrente impietatis auferri.

Ea in primis ætas, quae anno 13, 14, et 15. continetur, corruptionis periculo maxime eſt obnoxia, atque adeo quam diligentiſſime ab educatoribus cuſtodienda. Multi enim, credo, ſanctiorem vitam viverant, ſi quo tempore primum juveniles cupiditates efferueſcebant, et ſpecioſa mundi vanitas animum tentabat, intra terminos ſuos cohibiti fuiſſent. Equidem ſic exiſtimo, ſi, qui me educabant, non id tantum operam dediſſent, ut pietatis fundamentum in animo jaceretur meo, ſed etiam ut artes hominum malorum et inſidias ad corrumpendos mores bonos compoſitas probe cognoſcerem, non futurum fuiſſe, ut frequentatio ſcholae publicæ, quae per ſe multum habet commodi, novam mihi negligendi moris ſanctioris occaſionem praeberet. Cum enim gymnaſium ingrederer, etiam tunc crebro ad Dominum orando accedebam magnoque rogabam opere, ut qui mecum in ipſius timore conſpirarent, eos mihi amicitiæ vinculo conjungeret. At vero inter tot malorum exempla et conciliata ſenſim cum quibuſdam familiaritate, fervor priſtinus magis atque magis frigeſcebat : ad mores aliorum me componebam, honorem adamabam, ejuſque ſtudioſus eruditionis laudem ſectabar, aliiſque antecellere cupiebam. Quod vero a commilitonibus, qui propemodum omnes me duplo natu erant majores aetas mea contemneretur, ſubmittendi Deo animi habebam incitamentum. Quanto autem magis hic contemtus imminuebatur, tanto eram corruptioni in dies ſubjectior,

jectior, ut jam tum comperirem, mundum plus assentando et blandiendo, quam spernendo et despiciendo nocere.

Neque tamen studiorum litterariorum cursum retardari passus fui; sed in eo progedi semper adlaboravi, quamquam non eo consilio, ut gloria divina per me olim illustrari posset, et aliorum felicitas juvari, sed potius honoris atque commodi mei studio. Quo fiebat, et facilis et expedita scribendi ratio mihi non arrideret, sed eos maxime auctores, qui elatiori et grandiori sermone usi fuerunt, studiose imitarer: praesertim cum hoc institutum meum laudari videns, magis magisque inani gloriola efferer. Sed edoctus meliora et ad Ciceronis lectionem revocatus, ut ad facilitatem et perspicuitatem sermonis, qualis in Lælio, Tusculanis quæstionibus, epistolis &c. deprehenditur, orationem meam conformarem, operam dedi. Quamquam ne hæc quidem industria nihil incommodi et damni habebat, quod scriptorum divinæ veritatis expertium profanas sententias et loquendi rationes, cum ipsis eorum vitiis, in scriptiones meas, tanquam ornamenta quaedam et lumina orationis, transferrem. Non agnoscebam eo tempore hanc sermonis labem, neque multos adolescentes illam credo agnoscere: quae facile, mea quidem sententia abstergeri posset, si ipse latinitatis magister formulas profanas et sententias cum sacris litteris pugnantes ab sanioribus et verioribus discerneret atque religiosæ latinitatis rationem discipulis monstraret. Eadem vanitate et præmaturæ eruditionis cupiditate impellebar, et Academicas disciplinas quasi prælibare auderem, cum rebus magis necessariis studium impendendum esset. Expers enim sermonis Hebraici, quo subsidio theologiæ cultura prorsus carere non potest, dabam me discendæ philosophiae, ei plus operæ, quam scientiæ sacratiori, tribuens, laudantibusque diligentiam hanc præceptoribus et libros in hunc usum commendantibus me rectissima via incedere existimabam, et magis atque magis eo labore impeditus magno conatu et opere difficili a salutari theologiæ cultura deflectebam. Hoc tamen juvabat, quod linguæ latinæ atque grecæ ea fundamenta posueram, quibus porro inædificari posset. Annum agens 16tum in Erfortiensem Academiam missus et amici cujusdam et veteris Academici custodiæ atque institutioni commissus fui: quo magistro ad ductum Horologii Schickardiani praecepta grammatica et analysin sermonis Hebraici discebam: quem et Logicam atque Metaphysicam mihi interpretantem audiebam: ad quas disciplinas ita adpuli animum, ut optimum quemque earum auctorem singulari studio pertractarem. Porro et Acroases Geographicas mihi fecit, et ad notitiam Auctorum Theologicorum, quam secum priuatissime a Bosio, Prof. Jenensi celeberrimo, communicatam esse dicebat, instituit. Hæc mihi fuerunt initia Academicorum studiorum, in quibus verus, credo, finis non spectabatur. Sed mentem potius meam speciosae vanitatis amor magis atque magis occupabat, et

ad

ad eorum mores, quorum utebar conſuetudine, vitæ meæ rationes exigerem, et honorum ac dignitatis ſplendorem, eruditionis gloriam et alia huius vitæ commoda expeterem, ad quæ tanto magis adnitebar, quo felicius in diſcendis litteris proficere mihi videbar. Attamen ſentiens me a ſanctæ mentis cura atque ſtudio, quod puer in ea collaveram, defeciſſe, tranquillare animum et ſolida voluptate permulcere numquam potui. Eodem anno 1679. Kilonium ire a meis jubebar, idque rogatu avunculi mei ANTONII HEINRICI GLOXINII, qui cum ſtipendii Schabbeliani diſpenſator eſſet, illud mihi, familiæ Schabbelianæ proximo agnato, collaturus erat. Ejusdem juſſu in convictum et domum D. KORTHALTI Academiæ illo tempore Pro-Cancellarii et Profeſſoris primarii ad habitandum concedebam: quippe in cuius diſciplinam atque cuſtodiam et ego, et reliqui commilitones ſtipendii Schabbeliani participes, maxime traditi eramus: eaque potiſſimum cauſſa fuit, ut integrum fere triennium inde ab autumno anno 1679. in hac Academia verſarer. Hic igitur perrexi in ſtudiorum curriculo; primo philoſophicorum, quæ nunc variis exercitationibus maturare adnitebar. In primis in Metaphyſica et Ethica totus eram, de eorum uſu in Theologia maxime ſollicitus. Phyſicam Morhofio magiſtro, Acroaſes de hiſtoria naturali faciente, imbibere laboravi. Præſertim dedi operam, ut ſub ejusdem viri ſummi inſtitutione, latinitatis majorem comparatem facultatem, et ſolidiora eloquentiæ, tam ſacræ, quam profanæ, jacerem fundamenta: quo conſilio ipſum privatiſſime audiebam. Singularis acceſſit amor polyhiſtoriæ ſive ſtudium cognitionis auctorum, quod jam Erfordiæ in animo radices egerat, et quo impellebar, ut prælectiones polyhiſtoricas eo tempore habitas, aſſidue frequentarem.

Avunculus meus, me ejusmodi rebus majorem, quam par eſſet in cultura ſanctioris diſciplinæ, operam navare cognoſcens, ut ab iis me abſtinerem, ſuadebat quidem: ſed tam alte hoc ſtudium in animo inſederat, ut ille non optime videretur mihi conſulere illa quam maxime neceſſaria opinanti, quæ et ipſi harum rerum amatores reliquarum ſcientiarum ornamenta tantum eſſe credunt; a me autem pro miſera mentis conditione ad pompam et ſpeciem comparabantur. Duce Kortholto Theologiæ culturam proſequutus ſum, lectiones ejus theticas, polemicas et exegeticas frequentans, ipſiuſque et aliorum ſcripta ab ipſo commendata diligenter volvens. Ad habendas præterea e ſuggeſtu conciones ſacras animum adpellens, et ad methodum Helmſtadienſem, quam non nulli dicebant, forte delapſus, ſtudioſe Ariſtotelis, Rhetoricam commentariis Schraderi illuſtratam perlegi et locos communes ſecundum Schraderi methodum confeci, auſus deinde, cum in urbe, tum in pagis, ad populum pro concione verba facere; at non ex eo principio, de quo Paulus, 2 *Cor.* 4. Credo, inquit, ea propter loquor. Recte tamen agere tunc mihi videbar. Præterea

rea laudatum Kortholtum hiſtoriam eccleſiaſticam publice et privatim enarrantem, Euſebiique hiſtoriam eccleſiaſticam interpretantem ſedulo audivi: nec ab iis abfui Acroaſibus, quas de officio Miniſtrorum eccleſiae faciebat, in quibus, et in omnibus ſuis Collegiis, Vir ille præſtantiſſimus diſcipulos ſuos magno ſtudio ab vita flagitioſa et voluptaria revocabat, et gravitatem officii paſtoralis ſummo opere commonſtrabat. Quo factum eſt, ut ſcintilla religioſae virtutis iu animo meo reliqua ſaepe excitaretur, et aliquoties ſtatuerem, animum a mundo et ejus amore avocare, probe perſpiciens, vitam ejuſmodi, quam ipſe cum aliis litterarum ſtudioſis ducebam normæ divinæ voluntatis non reſpondere. Quin vitam ad praeſcriptum legis divinæ aliquoties componere incepi: ſed vix ingreſſum viam meliorem conſuetudo multitudinis ad devia abripuit, ut mala poſteriora prioribus evaderent deteriora.

Qua propter in ipſo ſtudiorum feruore, nil niſi ſpecies religionis me ornabat, externis cultus divini officiis fungentem, ſermones etiam pios cum aliis commutantem, librosque excitandæ pietati ſcriptos legentem, ſed facultate deſtitutum renunciandi cupiditatibus vitamque agendi temperantem, juſtam atque piam. Doctrinam rerum ſacrarum memoria et ingenio non animo complectebor, mortua potius notitia imbutus, quam viva cognitione illuſtratus. Equidem quæ eſſet fidei natura, quae regenerationis et juſtificationis et renovationis ratio, quod diſcrimen, ex ſacra ſcriptura explicare et demonſtrare potui; ſed nihil harum rerum ipſe experiebar. Theologiam habitum eſſe practicum non ignoravi; ſed ut cognitionem ad ipſam vitae actionem transferrem, non ſtudebam. Scripturam divinam legi, magis eruditionis comparandæ gratia, aut moris honeſti obſervandi, quam et mens æternæ felicitatis cognitione inſtructa ad ejus ſtudium ferretur. Quod omnia, quae diſcebam literis mandarem, præclaram me navaſſe operam putabam, nequaquam curans ut lex divina tabulis animi a ſpiritu ſancto inſcriberetur. Talis fui, cum avunculus meus, quod ſtipendii Schabbeliani rationes, ipſo adfirmante turbarentur, mihi proteſtatem faceret, Kilonio proficiſcendi. Hamburgum igitur petivi, et celeberrimo Eſdra Edferdo viam monſtrante, linguam Hebraicam, in cujus ſtudio Kilonii non admodum felices feceram progreſſus, penitius perdiſcerem. Quo in loco præſtantiſſimi illius Viri, apud quem et cibum capiebam, dexteritatem atque diligentiam non poſſum non ex animo collaudare, quippe qui non gravatus ſit, ſine ullo didactro, multum mihi temporis impendere, et vel in legendo ſacro codice, vel in diſcendi ratione hæſitanti, parato et lubenti animo ſuccurrere. Quum vero, poſt bimeſtrem induſtriam, quæ tota ipſius monitis regebatur atque in lectione biblica ad Jeſaiæ vaticinium progreſſa erat, mei me domum venire juberent: a laudato Edzardo petebam, et qua ratione ſtudium hoc biblicum perſequerer, com-

monſtrare

monſtrare vellet. Obſequutus precibus meis praecepit, ut primam lectionem curſoriam abſolverem; deinde ſecundam ſacri voluminis lectionem inſtituens Grammaticae omne ſtuditum impenderem; cum tertia lectione Glaſſii philologiam ſacram, cum quarta linguam Chaldaicam, cum quinta Michlel Jophi, cum ſexta denique Biblia *Buxtorfii* pertractanda conjungerem. Quod conſilium etiam ſic ſtatuebam ſequi: tamen, cum mihi Gothae apud meos fere ſeſquiannus tranſigendus eſſet, illiſque ſubſidiis, quibus in hac re opus erat, indigerem: viam a praeceptore ſapienti monſtratam ex parte deſerens, in ſola bibliorum et Glaſſii lectione illius temporis ſpatium ita conſumſi, ut ſi recte memini, ſexies vel ſeptiesve codicem Hebraicum perlegerem. Cum Hamburgo diſcederem, mens mea miſere adfecta erat, et tota rerum vanarum amore contaminata. Sentiebam eo tempore gratiam divinam me ſenſim derelinquere, idque mea culpa atque vitio fieri, quod cum ſaepe numero ad corrigendam animi pravitatem me fortiſſime impuliſſet, non ſolum non obtemperaviſſem, ſed longius in dies a ſalutis via aberraſſem. Qua propter renouavi quidem Domini quaerendi et colendi ſtudium: magis tamen in rebus externis, quam in vera mentis emendatione illud poſui. Cantavi et oravi multum; libros ſacros aſſidue legi; templa frequentavi; quodam ex peccatis dolore adfectus, vel cum lachrimis delicta mea verbi divini miniſtro ſum confeſſus: haec vero ſententia nihilominus animo conſtabat, honores, divitias vitamque fortunatam adſectare, cum lege divina non pugnare. Quamuis igitur reliquorum me peccatorum poeniteret, *Avaρίας* tamen non poenituit, quae profecto altas in animo meo radices egerat. Nam ubi nulli ſunt fructus fidei, charitas, gaudium, pax et alii, ibi nec ipſa fides eſt, ſed ſpecies et opinio fidei. Neque tamen negandum eſt, per annum illum et dimidium, quem domi commorabar, externam vivendi rationem paullo fuiſſe, quam antea meliorem. Nam in doctrinae ſtudiis nihil induſtriae reliquum feci, vitam ad honeſtatem compoſui, animo tamen vera tranquilitate numquam gaudente. Aliis quidem hominibus probus et induſtrius litterarum cultor videbar, et a multis adamabar: cum certe in me eſſet nulla niſi naturalis quaedam bonitas, neque cum aliqua doctrinae copia atque facultate caeleſtem ſapientiam umquam coniunxiſſem. Circa hoc tempus, Wichmanſhauſenius, tum quidem litterarum in Academia Lipſienſi ſtudioſus, poſt Hebraicae linguae in Wittembergenſi Profeſſor, ut ipſum intra privatos parietes ſolum ad ſermonem Hebraicum erudirem a me, aliorum monitu, rogabat: Lipſiam igitur anno 1684. profectus non ſolum hanc illi navavi operam; ſed occaſione etiam qualemcunque doctrinam meam augendi prudenter uſus, addidici Rabiniſmum, percolui ſtudium theologicum, orationes ſacras e ſuggeſtu dixi, cenſurae Profeſſoris ſubiiciendas; linguae Gallicae et Anglicanae facultatem majorem comparavi, Italicam etiam non incultam praetermiſi. Praeceptores habebam longe celeberrimos, Richenbergium, Olearium, Cypria-

num

num, Io. Benedictum Carptovium et Magistros quosdam eruditos: quibus immortales omnino gratias me debere profiteor.

Anno 1685. hac ipsa in Academia magistri titulo et honore ornabar eoque me non indignum esse disputatione de Grammatica Hebræorum habita ostendere laborabam, nihil tamen spectans aliud quam divitias et honores. Equidem gloriæ divinæ amplificandæ me his in rebus inseruisse non memini; quamquam non est dubium, me, si eo tempore rogatus de hac re fuissem, affirmaturum fuisse, hanc primariam et præcipuam esse consilii mei rationem, ut numinis illustretur gloria. Ea quidem, quæ ipse spectaveram, facile consequutus sum. Nam larga aliorum docendorum occasio obtigit: alias post alias feci Acroases: neque defuerunt, qui privatissime a me erudirentur. Operam tamen omnium optimam in Collegio philo-biblico navavi, de cujus initiis et progressibus copiosiorem instituere narrationem operæ pretium esse duco.

Magister Paulus Antonius, olim in hunc sermonem mecum incidit, linguæ Hebraicæ atque Græcæ studium valde negligi, seque optare, ut ipsi Magistri inter se aliquod earum exercitium instituerent. Quæ res, cum mihi summopere probaretur, ut sine ulla mora efficeretur, ei suadebam. Continuo quosdam nostros amicos ex Magistris rogavimus, ut in ejusmodi exercitatione studium suum cum nostro conjungere vellent: annuerunt, pauciscque post diebus initium fecimus.

Hæc vero prima instituti nostri fuit ratio, ut singulis diebus dominicis post finita sacra ab hora IV. ad VI. conveniremus, et alius ex nobis caput veteris, alius Novi Testamenti explicaret breviter, atque ad vitæ usum sapienter deinceps transferret. Cum Spenerus, qui mox post initia hujus Collegii *Dresdam* ad obeundum supremi ecclesiastae aulici munus concesserat, per M. Antonium de hoc instituto certior factus esset, magna certe Vir præstantissimus lætitia perfundebatur, quod aliquod verbi divini studium in theologiæ cultoribus excitari Saxoniam vix ingressus inaudiret. Quamquam vero nos maximam partem a vero scopo multum aberrare cognoscebat: tamen consiliis atque monitis ad gloriam divinam longe rectius spectantibus, tenuem conatum juvare adnitebatur: quibus obtemperantes, breviora librorum biblicorum segmenta, quam ante, explicanda esse statuebamus. Usu meliora semper nos edocente, magis magisque hoc studio incensi fuimus: et quum exercitationes illas philo-biblicas strenue prosequeremur, numerus eorum, qui illis interessent, subinde auctus fuit, studiosis etiam quibusdam, ut auscultare liceret, veniam rogantibus. Multis Professoribus hæc nostra industria sese probavit: ipsi praesentia sua nos cohonestarunt, atque ad constantiam sunt cohortati. Proinde cum et Museum M. Antonii tantam

eruditorum

eruditorum multitudinem non caperet, et ipſe ut ſereniſſimo Principi *Saxoniæ Auguſto* ſacra in itinere obeundo adminiſtraret, ab Electore juberetur. D. *Valentinum Alberti* Prof. Theologiæ extraordinarium rogavimus, cum ut directorem ageret Collegii Philobiblici, tum ut locum in domo ſua ei habendo, concederet. Utriſque precibus annuens, ipſe exercitationibus interfuit, finitaque lectione, quæ in commentationibus noſtris monenda eſſent aut emendanda commonſtravit. Quo cum accederet, ut et ſtudioſis poteſtas fieret, ſub finem cujuſvis exercitationis ſymbolas conferendi ſuas, dici non poteſt quanto numero et Magiſtri et ſtudioſi confluxerint, et quo ſtudio ac fructu hoc Collegium frequentaverint, ita ut Profeſſores nonnulli, et alii viri non exiguæ dignitatis peregre advenientes crebriori adventu, quantum voluptatis ex hac opera caperent, ſatis teſtificarentur. Talis erat facies Collegii philo-biblici, cum Lipſia diſcederem: ex quo majora in me commoda, quam ex reliquis omnibus laboribus Academicis, redundaſſe profiteor, et me umquam antea felicius in ſcrutandis verbi divini ſententiis verſatum fuiſſe non ſine ratione nego.

Inter hæc adverſus Molinoſum publica Lipſiæ diſputatio habita fuit, cujus auctor palam confitebatur, ſe, in elaboranda diſſertatione ipſius Molinoſi ſcripta non legiſſe, ſed cum literis mercurialibus, tum etiam iis, quæ in Actis Eruditorum ex Segnerio, Molinoſi adverſario, relata eſſent, fidem habuiſſe. Quæ res cum crebris ſermonibus exagitaretur, multi, ut ipſum auctorem legere poſſent, optaverunt. Eaque cauſſa fuit, ut vir quidam ſpectatae dignitatis mihi ſuaderet, ut, quo de doctrinis ejus ſcriptoris judicium ferri rectum et ſincerum poſſet, latine illum ex Italico ſermone verterem. Ad quem laborem cum et ab alio Profeſſore, quem ea de re conſulebam excitarer; obtemperavi huic conſilio, collatiſque inter ſe duobus exemplaribus, duos Molinoſi libellos; qui Guida Spirituale et Della Communione quotidiana inſcribuntur, feci latinos, illos ſimul ſcriptores myſticos, quos ſequutus erat, in Bibliotheca Paullina evoluens nihilque ſtudii reliquum faciens, quo aliquid lucis menti auctoris adfundi poſſe videbatur. D. *J. Benedictus Carpzovius*, et Profeſſ. Fellerus quo præſente, in Bibliotheca Paullina, hanc operam navavi, opus ipſi urſerunt: et ille quidem, quod Decanus eſſet Collegii Theologici opus abſolutum ſub cenſuram vocavit. Quæ omnia a me id circo, prouti geſta ſunt, narrantur, quod elapſo aliquo tempore fuerunt, qui hanc meam verſionem iniquis criminationibus exciperent; cum non ſine publica approbatione, nemine prorſus adverſante, præfixoque meo nomine, et explicata brevi præfatione conſilii hujus ratione, librum edidiſſem. Falſo etiam poſthac adverſarii mei, accuſationibus ſuis ſpeciem aliquam veritatis conciliaturi, criminati ſunt, me falſis Molinoſi dogmatis imbutum fuiſſe; Nam primo hoc mihi conformandae ad Chriſti regulam vitæ

principia non fuerunt, id quod postea demonstraturus sum ; deinde numquam, sive clam, sive palam, Molinosum in omnibus sequendum et defendendum esse adfirmari : denique semper suasi, ut sacræ litterae, aliique libri sinceras Evangelii doctrinas incorrupte ad excitandam et confirmandam pietatem complexi, potissimo studio legerentur. Neque tamen infitior, eos mihi numquam probatos fuisse, qui cæco impetu auctorem neque lectum, neque intellectum arriperent exagitandum, eique opiniones, quæ fortasse numquam in mentem ejus veniissent, audacter attribuerent. Quid ? quod adserui, multa praeclara virtutum Christianarum praecepta, nequaquam repudianda, in iis libris reperiri. At quis bonae mentis et animi Christiani vituperabit, me ea laudavisse, quæ in scriptore a nostris sacris alieno deprehendebam verbo divino respondere ? Profecto quum scripta Molinosi eatenus modo probaverim, quatenus cum oraculis divinis conspirant, neque ex iis fundamenta Christianæ pietatis jacienda esse adfirmaverim : Candidos homines et veritatis amantes hac in re judices non vereor, neque ejus judicium, qui olim incorrupte judicabit, reformido. Sed ut redeam ad meum Christianæ vitæ studium, illud Lipsiæ prioribus præsertim annis, valde proh dolor, frigebat. Eo quippe nitebar, ut eruditionis laude, et honoribus aliquando florerem, ut opibus et divitiis adfluerem, vitamque jucundam atque tranquillam in hoc mundo transigere possem. Consilia vana animo agitabam : magisque ut hominibus, quam Deo immortali placerem, laborabam. In rebus etiam externis, ut in immodico vestium cultu aliisque vanitatibus hominum profanorum mores imitatus fui, neque decreverunt in me vitia, sed magis magisque adoleveruut, et quo evadebam doctior, tanto etiam superbior. In Deum certe malorum culpam transferre non licet : neque enim non subinde me commonefecit, et ad rectam viam ingrediendam excitavit. Meliorem mihi vitam esse vivendam, persuasum habens, aliquoties genibus ad precandum flexis Deo meliorem frugem pollicebar : verum non deliberati hoc fuisse animi firmum consilium, eventus condocebat. Magnas quidem animus sentiit turbas, neque tamen veras perturbatæ mentis causas agnoscere et in Deo eam tranquillare volui. In illis rationibus, ad quas vitam meam instituebam me non posse adquiescere cognovi : at depravata natura faciebat, ut seriam mentis emendationem semper procrastinarem.

Fatendum ergo, me his quatuor et viginti annis, quos vivendo exegeram, sterilis arboris similem fuisse, multum quidem frondis, sed fructus fere non nisi putres ferentis. Sed quum ita vita mea comparata esset, mundo sic placuit, ut bene inter nos conveniret. Etenim mutuus inter nos fuit amor, et quod ingeniis ac tempori servire didicissem, nulla me impiorum odia vexaverunt. Neque tamen, quam colebam cum mundo pacem, ea pacem animo conciliavit meo : sed cura imposterum longe prospiciens,

piciens, honoris cupido, ſtudium vaſtæ ſcientiæ et comparandæ gratiæ, atque alia denique vanæ mentis vitia ; imprimis autem neglectæ pietatis caſtæ ſanctæque conſcientia, qua ſubinde mordebar, pectus meum, tamquam mare æſtuoſum in utramque partem agitaverunt : quamquam haud raro latentes illas ſollicitudines effuſa, qua cum aliis fruebar, lætitia ſedare adlaboravi.

Tandem vero circa 24tum ætatis annum, perſpicere miſeriam coepi, et de ſalute animæ paulo diligentius cogitare. Ipſa ſtudii theologici indoles et natura me commonuit, prorſus non eſſe conſentaneum atque religioſum ad munus ſacrum me accedere, et de quibus ipſi mihi nihil ſit uſu internoque ſenſu compertum, atque exploratum, ea alios docere, et quam nunquam ingreſſus ſim viam felicitatis, aliis demonſtrare. Verſabar equidem in profanorum hominum conſortiis, undique peccati illecebris cinctus et diuturna conſuetudine in eo confirmatus : Deus tamen, pro virtute ſua atque bonitate, animum meum commovebat, ut demiſſa mente et in genua provolutus ſæpius eum rogarem, vitam meam ut vellet emendare, meque ſuum filium eſſe juberet. Tum in me illud Paulinum ex *Heb.* 5. 12. valuit : quos oportebat dudum eſſe doctores —— ſolidus cibus. Etenim ſeptem annis diſciplinas theologicas percolueram, dogmata eccleſiæ noſtræ callebam, iterum iterumque perlegeram codicem biblicum et præter eum libros inſtruendæ vitæ Chriſtianæ gratia ſcriptos profecto non paucos ; ſed illa non animo, ſed memoriæ tantum inflixa fuerunt, ſemenque verbi divini in me ſuffocavi, et quo minus fructus ederet, impedivi.

Quum igitur nunc fundamenta Chriſtiani cultus denuo jacienda eſſent, ita me impeditum ſentiebam, et mihi ſimilis ejusmodi eſſe hominis viderer, qui, cum manibus pedibuſque, et toto corpore vinculis eſt conſtrictus, unumque funem perrupit, nihil magis exoptat, quam ut reliquis etiam continuo exſolvatur. Deus autem, ut eſt fidelis et verax, auxilio gratiæ ſuæ me præveniebat, et viam, qua magis atque magis ad eum propius accederem, ſapienter et benigne muniebat. Ipſe graviſſimum quodque impedimentum manu potenti, opinione et ſpe mea celerius, ſuſtulit : ego vero, quia eodem tempore mentem meam immutabat, omnem occaſionem ſanctioris cultus Deo exhibendi cupide arripui. Jam quaſi diluculum mihi exortum erat, aut velut in nocte ſubluſtri et ſerena ambulabam : pedem in templi limine poſueram, ſed quo minus ingredererer, infixa penitus menti rerum pereuntium veneratio impediebat. Voluntate magis magiſque ad bonum ferebar, ſed conſuetudinis inveteratæ vitio toties et verbis et factis præceps labebar, ut multum inde ſollicitudinis in animo naſceretur. Inter hæc tamen ea mentis erat ratio meæ, ut valde amarem pietatem, de ea non fictos et fucatos ſermones facerem, familiaribuſque meis teſtificarer, me Dei

ſerio ſtudio inpoſterum colendi propoſitum cepiſſe: quo fiebat, ut quibuſdam bonus eſſe Chriſtianus viderer, et poſtea temporis nonnulli, ſe manifeſtas mutatæ et emendatæ vitæ notas in me tum deprehendiſſe, declararent. Mihi vero Deoque exploratum eſt, ea me tempeſtate ſtudio rerum vanarum nondum fuiſſe liberatum, malique vim tantam in me exſtitiſſe, ut adverſus eam, tamquam puerulus adverſus robuſtum gigantem, pugnare viderer. Quid me fuiſſet miſerius, niſi converſa eſſet rerum facies? Altera enim manu cælum, altera terram tenere, Dei mundique idem amicus eſſe, aut cum neutro certo et conſtanti foedere me conſociare volebam.

Sed, O magnitudinem amoris divini, quo in Chriſto Jeſu humanum genus æternus pater complexus eſt! Non ille me propter pravitatis meæ gravitatem abjecit; ſed patienti me ferens animo, imbecillitatem meam ita ſuſtentavit, ut animum ſemper ſpes aliqua haberet, fore, ut tandem aliquando tenebris prorſus diſcuſſis ſol juſtitiae in me exoriretur. Sub hoc ipſum tempus divina providentia ſaluti meae quam amantiſſime proſpiciens, Lipſiam, ubi varia ſubinde mihi impedimenta in virtutis via objecta fuerunt, juſſit me relinquere, injecta avunculo meo, D. Gloxinio hac mente, ut me iterum ſtipendio Schabbeliano ornaret, cupienſque ut nulla in re majorem, quam in interpretandis ſacris literis operam collocarem, Luneburgum juberet proficiſci, D. Sandhagenii, Superintendentis eo tempore Luneburg. Opera in hoc ſtudio uſurum. Eo igitur, ineunte vere anni 1687. tanto libentiori conceſſi animo: quanto ſpes mihi fuit major, hac me via ad Chriſtianæ vitae felicitatem atque facilitatem aliquando eniſurum eſſe.

Quæ me extrinſecus circumſteterant impedimenta, ea Deus ſimul omnia ſuſtulerat: ſolitudinem meam, piaſque cogitationes, cum ſolus muſeum inhabitarem, non erat, qui turbaret, eoque accedebat, quod cibum cum hominibus probis atque piis caperem. Vix adveni, cum in æde Sti Joannis ut ad populum e ſuggeſtu dicerem, multo ante, quam ipſa concio eſſet habenda, rogarer. Jam vero ſic adfectus erat animus meus, ut non tam me exercere, quam auditores ad pietatis culturam excitare oratione ſacra ſtuderem. Quam rem cum agitarem animo, incidi in verba, quæ Joh. 20. 31. habentur, eamque vivæ fidei naturam et ab ficta atque imaginaria differentiam propoſiturus. In hoc autem argumento cogitationes meas figenti ſuccurrit me ipſum ejus modi fidei, quam in concione eſſem requiſiturus, expertem eſſe. At concionis igitur meditatione ad me ipſum cura omnis ſe convertit: fide enim me deſtitutum eſſe, id me magis atque magis ſollicitum reddebat. Aliis atque aliis ſolatiis moerorem hunc lenire cupiens, nuſquam adquieſcere potui. Adhuc quidem divini luminis efficaciam in me parum expertus,

rationem

rationem ſolidis tantum argumentis ad credendum inducere conſueveram; eodemque modo nunc etiam conſulere mihi adlaborabam: ſed tantum abeſt, ut conſulerem, ut majoribus ſubinde dubitationibus mens anxia ſollicitaretur. B. Jo. Muſæi Collegium ſyſtematicum Mſcr. quod frequens legeram, inde fluctuantem mentem confirmaturus, legendum ſumſi: at nihil ſolatii in eo reperiens mox abieci.

Ad ſcripturam vero ſacram, veluti ad portum fugienti in mentem venit, poſſe dubitari, an biblia divinæ ſint auctoritatis. Turcos Coranum ſuum, Judæos Talmudum tanquam oracula divina agnoſcere: non liquere, cui ſit adſentiendum. Ita vero ingraveſcebat hæc mentis tempeſtas, ut omnia mihi theologiæ Chriſtianæ capita, et ipſa de Deo doctrina, incerta atque dubia viderentur, neque plane haberem, quo pedem figere, aut ubi mens requietem invenire poſſet. Non vero exiſtimandum eſt vano et protervo animo doctrinam cæleſtem me repudiaſſe et flocci feciſſe: volebam, ſed non poteram, aſſenſum praebere. In hac ipſa porro animi perturbatione et denſiſſima nocte Dei gratia negotioſa fuit, et ſenſim ita mihi vitæ omnis anteactæ errata et peccata detexit, ut tandem, quum me falſa fidei perſuaſione deceptum adhuc fuiſſe deprehenderem, omnia mea facta, dicta atque cogitata, non niſi inviſas divinæ ſanctitati ſordes fuiſſe, exploratum mihi eſſet. Vel invito lacrymas graviſſima expreſſit miſeria, adegitque, ut precarer, vellet Deus, ſi quis eſſet Deus, opem mihi ferre omnium miſerrimo. Audivit preces benigniſſimus pater. Nam quodam die dominico, quum ante ſomnum, in ſumma mentis anxietate, in acerbiſſimo peccati et triſtiſſimo ſenſu, in tantis dubitationum fluctibus, humi ſtratus, ejus Dei, quem ignorabam, quem non credebam, auxilium vehementer implorarem: repentina et ſubita animi immutatione omnes ad unam dubitationes exemit, meque de gratia ſua et amicitia in Jeſu Chriſto reddidit certiſſimum. Deum non Deum ſolum meum, ſed et patrem adpellare audebam: Moeror omnis atque ſollicitudo eodem momento diffugit: tantoque gaudio non imbutus fui, ſed perfuſus atque inundatus, ut magna cum fiducia tantæ gratiæ largitorem celebrarem. Jam in lecto ſomnum eram capturus: quem vero incredibilis ea lætitia aut prorſus in oculos non admittebat, aut ſtatim excutiebat, ut iterum iterumque divinam miſericordiam laudare atque efferre inciperem. Etenim videbar mihi per univerſum præteritæ vitae ſpatium, alto quaſi ſomno obrutus jacuiſſe, ex quo nunc demum eſſem expergefactus. Vitae naturalis atque divinæ et vere Chriſtianæ diſcrimen nunc quam maxime cognoſcebam, ipſe ex morte in vitam revocatus. Jamque Lutherus de vivæ fidei virtute atque fructibus in aurea epiſtola ad Romanos præfatione graviſſimis prædicat verbis, uſu comperiebam vera eſſe: gratiæque divinæ agnitio et fiducia in ea collocata ſic me animabat, ſic exhilarabat, tanta voluptate permulcebat, ut exclamarem:

rem: O quanta eſt, mi DEUS, primi lactis illius dulcedo, quo imbecillos tuos filios recreas atque oblectas! Impleverat nunc amore ſuo pectus meum et ſeſe tanquam ſummum illud et inſitum bonum praebuerat mihi cognoſcendum: et ab eo tempore Chriſtum ſequutus neque umquam porro ab hac via ullis hoſtium tentamentis aut incitamentis fui deductus.

Hactenus ipſe B. FRANKIUS: cujus narrationi jam ea ſubjecturi ſumus, quae publico Academiae Halenſis nomine Pro-rector ejus Magnificus de reliquo vitae curriculo et beato obitu laudatiſſimi viri memoriae prodidit.

Pars

Pars Secunda, a Pro-Rectore Academiæ Halenſis Magnifico, conſcripta.

SIC a Deo formatus inſtructuſque primum anno poſt milleſimum octogeſſimo octavo rurſus ſe conferebat Hamburgum, cum viris doctis piiſque aliquantiſper verſaturus; ac deinde Lipſiam cum ſincero ſcopo juventutem Academicam, cui jam antea ibidem ſtudia ſua ſuamque fidelitatem probaverat, ad veram eruditionem, cum ſanctæ vitæ ſtudio conjunctam, et futuro inprimis Theologo et eccleſiæ doctori neceſſariam, inſtituendi. Et ſane quod ad finem hunc foecundior cum proventu obtinendum requirebatur, ipſi deerat nihil. Cum enim ad Dei gratiam in ampliori ſubſidiorum adparatu conſideratam, hic redeant omnia; animus Spiritus S. robore ac virtute indutus ex una parte habebat dona erectioris ingenii ac ſubacti judicii naturalia, uberioribus ſanctificatæ eruditionis inſtrumentis inſtructa excultaque; ex altera, vitæ ad purioris doctrinæ normam et ipſius Chriſti exemplum compoſitæ, integritatem; eamque commendatam ea morum externorum ſuavitate, quam a vanitate omni alieniſſimam, Chriſtiana gravitas temperabat, et totam viri perſonam non minus venerabilem, quam amabilem, reddebat. Quæ donorum excellentia ac ubertas et ea majori cum fructu ſe exſerere poſſent, iſtis ſubſerviens præſtitit facundiæ nativæ, ac parrheſiæ e principio gratiæ profluentis, donum plane egregium ac ſingulare. Quare quando ſic inſtructus dicebat, dociles auditorum animi non movebantur ſolum, ſed rapiebantur etiam in aſſenſum; imprimis cum, pro ſcopi ſui ſinceritate, et pro ſanctioris affectus abundantia, iis convincendis, mutandiſque ita inſtaret, ut haud deſiturus eſſe videretur, niſi jam convictis atque expugnatis.

Lipſiam hoc animi ſtatu reductus, ibi non ſtatim ſubſtitit; ſed ſpeneriani nominis, quod Saxoniam tunc ſanctione cum εὐσεβείᾳ perſonabat, celebritate motus, et inde Dreſdam profectus, in Spenero, intra ædes, et ad menſam ab ipſo receptus, circa anni octogeſimi octavi finem et noni initium, alter quaſi Timotheus, Paulum ſuum invenit, ejuſque et doctrinæ typo, et vitæ ſanctioris exemplo, conſiliorumque ſalubritate, inſigniter confirmatus Lipſiam reverſus eſt. Hic campum, in quo excurrere poſſet ipſius virtus, ampliſſimum nactus, ſcholas aperuit philologicas in diverſas Pauli epiſtolas, practica eorum, quæ Philologia ſacra ſubminiſtraverat, applicatione ſubjuncta: quanto cum auditorum frequentiſſimorum applauſu ſucceſſuque, vix crederet quiſquam, niſi a fide dignis teſtibus ἀυξήσεως et ἀυξόμενος, paſſim

inter

inter vivos adhuc agentibus, eſſet acceptum ac confirmatum. Et cum id ageret omni niſu, ut Theologiæ cultoribus, detectis ſtudiorum impedimentis, planiſſimam oſtenderet viam ad ſcopum perveniendi, ac inculcata veræ abnegationis neceſſitate, demonſtraret, iſtum non niſi in ordine renovationis recte obtineri; dici paucis non poteſt, quanta inde animorum commotio ac convictio, quanta mutatio, totius vitae immutatione declarata, in permultis ſit exorta. Et hi prælectionum fructus eo erant copioſiores, quo magis illi, ſociatis aliorum philoſophiæ magiſtrorum laboribus excitati confirmabantur.

Jam quis dubitaret, ſatanam hic obtinuiſſe antiquum, et nominis ſui, quod ut diabolus a calumniandi libidine habet, menſuram impleviſſe? Novæ ſectæ ſuſpicione videbatur infamandum ſincerum purioris doctrinæ ac pietatis ſtudium, atque huic addictis, nomine ſectario per univerſam eccleſiam evangelicam longe lateque ſparſo, publicum inde odium conflandum. Verum enim vero quemadmodum, fabulam eſſe novam ſectam ipſi omnium ordinum Profeſſores in Academia Lipſienſi privatim ac publice conſtanti confeſſione teſtificati ſunt: ita ignotum haud eſt, diverſis in locis nominis iſtius ſectarii uſum auctoritate publica, uti jam olim aliquoties, ita haud ita pridem denuo, ſevero fuiſſe prohibitum. Teſtis præcipue eſt ipſa Saxonia, quæ prima tam maligna inſtitutæ ſectæ fictione, eccleſiæ evangelicæ tam noxia, diffamata fuerat. Sic eum in locum Dei, ſuorum innocentiam et ſincerum veritatis ſtudium tandem plene patefacientis, providentia res reducta deprehenditur, ut vere dicere poſſimus, juſtum Numen noluiſſe, ut ſeruus ſuus, antequam ejus cauſſa faciem, quam in judicio divino ſemper habuit, etiam in foro humano induiſſet, e terris decederet in cælum commigrans. Superſint nonnulli ſectariæ fictionis interpolatores occulti, aut aperti dicantque, Frankium noſtrum eſſe præcipuum novæ ſectæ auctorem: certe enim vel accuſando dicunt, quod beatiſſimi viri merita confirmat ac illuſtrat; utpote vel inviti teſtificati, quod res eſt, nimirum ipſum divini iſtius operis, quo in locis quam plurimis prolapſi Hieroſolymæ evangelicæ muri alacrius inſtaurati ſurgunt, poſt Spenerum organum fuiſſe lectiſſimum et præcipuum. Id vero, priuſquam a Lipſienſis commorationis tempore digrediamur, prætereundum non eſt, Frankio noſtra jam tum Lipſiæ ſanctioris amicitiæ vinculo junctos fuiſſe, quos deinceps non ſine ſingulari Dei providentia hic Halæ accepit, et hucuſque habuit, collegas in ordine Theologorum conjunctiſſimos. Nam venerabilem iſtius ſeniorem D. Joach. Justum Breithauptium, tunc miniſterii et eccleſiae Erfurtenſis ephorum meritiſſimum, jam tum Kilonii cognitum magnique æſtimatum, Lipſia Erfurtum aliquando digreſſus ſalutaverat; doctorem vero Paulum Antonium, jam prioris commorationis tempore ſibi conciliatum, nunc vero ex itinere per Italiam, Galliam, Hiſpaniam, et Luſitaniam,

tantam, in quo ſereniſſimo Saxoniæ duci FRIDERICO AUGUSTO, a concionibus ſacris et ab animæ cura fuerat, reverſum, priuſquam ad ephoriam Rochlicenſem evocaretur, in erudienda academica juventute adjutorem habebat inſignem: doctorem vero MICHAELIS et LANGIUM inter auditores et amicos ſingulariter dilectos numerabat, nihil minus cogitans, quam fore, ut Hala Academiam acciperet, et in ea Theologorum ordo conſtitueretur ex iis, quos jam Lipſia quam arctiſſime conjunxerat.

Inde vero Lubecam FRANKIUM noſtrum anno nonageſſimo revocaverat obitus agnati, D. GLOXINII: ubi cum, aliquot publicis concionibus in multorum ædificationem habitis, in eo eſſet, ut docendi cauſſa ad Lipſienſes reverteretur, ab Erfurtenſibus, oblato diaconi Auguſtiniani munere, invitatus Erfurtum conceſſit, et habita concione δοκιμαστικῇ acceptiſque vocationis tabulis, iſtud ſuſcepit, ac illo, uſque in ſequentis anni autumnum, præeunte venerabili Erfurtenſis miniſterii ſeniore, D. BREITHAUPTO, apud omnium ordinum auditores ac cives reliquos, ſumma infrequentia ad ipſius ſermones publicos confluentes, tanto cum fructu functus eſt, ut in multis nativa reflorſcentis primævi chriſtianiſmi facies conſpiceretur. Et cum AUGUSTUS noſter etiam hic Theologiæ cultores docendi poteſtatem haberet, et non ſolum Lipſia cum Langio nonnulli alii ipſum ſequuti eſſent Erfurtum, ſed Jena etiam alii ipſum audituri eo venirent; his, et Erfurtenſibus ipſis, quotidianis ſuis prælectionibus, præcipue exegeticis, uſui fuit eo majori, quo promtius ac fidelius prælucens vitæ integerrimæ exemplar in ipſo, ſermonibus ejus paræneticis excitati, imitabantur. Satanas vero hic multo virulentiorem, quam Lipſia, ſeſe exhibuit, nec prius deſtitit, quam hic veritatis teſtis inde dimiſſus diſcederet, etſi in regni ſui ignominiam, cum luculentiſſimis innocentiæ teſtimoniis ac publicis documentis. Divina vindicta quomodo hic interceſſerit, aut mox inſecuta ſit, non neſciunt, qui inter Erfurtenſes ſapiunt, et juſta Dei judicia reverenter habent. Sed quid mirum erat, inter prolapſæ vitæ ac diſciplinæ chriſtianos idem eveniſſe ſincero Pauli imitatori, quod ipſi evenit inter Epheſios? de quo is ſcribit 1 *Cor.* 16, 9. Oſtium mihi apertum eſt magnum et efficax, et adverſarii ſunt multi. Quod ſi quis quærat, quo animo exceperit iſta adverſa noſter Pauli æmulus? Noverit non alio, quam quem Paulus his indicat verbis: Sed in his omnibus ὑπερνικῶμεν, ſatis ſuperque vincimus per eum, qui nos dilexit. *Rom.* 8, 37. Erat enim vir afflictus tanta fidei plerophoria, ut nullo adverſorum, multo autem tenerrimi ac mutui amoris ſenſu gregem ſuum eccleſiaſticum relinqueret inter auditorum, et præcipue catechumenorum, ſedula inſtitutione ad mentem Chriſti jam formatorum, lacrymas fuſiſſimas fidei agens triumphum.

Quem vero in finem, et quo eventu, DEUS, cujus proprium eſt, etiam e malis, confuſo, quod illa ciet, tenebrarum regno, bona

bona elicere, immo uberiori copia producere, adverſum iſtum brevioris periodi. Erfurtenſis exitum permiſerit, quis ignorat? et quis eo mentis ſtupore eſt, ut non admiretur, Deique celebret vias tam amabiles? Hala noſtra eſt, quam Deus per FRANKIUM noſtrum, a Thuringiæ Metropoli, ea ipſa invita, ſine juſta cauſæ cognitione excedere juſſum, jam antea dilectiſſimam, uberiori gratiæ affluxu viſitare dignatus creverat. Academia noſtra eſt, quae jam ab auguſtiſſimo conditore decreta, FRANKIUM noſtrum inter primos et præcipuos architectos habere debebat. Quare, provido Numine ſic dirigente, eadem fere hora, qua Moguntinum dimiſſionis decretum ipſius oculos ſubierat, ab aula Brandenburgica nihil minus expectanti obvenit nutus et invitatio propenſiſſima, longe ampliorem, quam qui Erfurti patebat, bene agendi campum oſtendens. Nec deerant alia munera, Vinariæ et Coburgi haud obſcure oblata, non vero accepta, cum, quod Dei providentia Halae noſtræ deſtinaverat, perficiendum eſſet.

Exacto, quod hic interjectum erat, itinere Berolinenſi, FRANKIUS noſter ab aula Brandenburgica in erigenda hic Academia profeſſor linguarum Orientalium, et eccleſiæ Glauchenſis paſtor conſtitutus, ſub initium anni ſeculi ſuperioris nonageſſimi ſecundi ſtatim utriuſque muneris primordia cepit; et ea quidem animi, fidei robore induti, magnitudine, qui campi hic patentis amplitudini reſpondebat. Et cum ſingula munera integrum requirerent virum, utrique ſuffecit non tantum ſolus, ſed in utroque ea etiam præſtitit, quæ non facile ſociata duorum opera præſtitiſſet: ut ea, quæ præter utrumque ipſi ſingularia fuere, jam non commemoremus. Nihil dicimus, quod a vero abſit, et ex ullo illi mortalium placendi ſtudio proficiſcatur. Dictorum ac dicendorum teſtes, quorum multæ ſunt chiliades, habemus locupletiſſimos. Nec civium utriuſque reipublicæ, Academiæ et urbicæ, notitiæ hic ſcribimus; utpote ipſis rerum teſtimoniis jam ſatis inſtructæ. Poſteritati vero ut conſulendum eſt; ſic etiam aliquid dandum eſt exteris, apud quos FRANKIANI nominis fragrantia jam dudum eſt venerabilis. Nec fortaſſe fallimur, ſi dixerimus, etiam eorum, qui ex infauſtis ejus oſoribus, infeliciſſimam novæ ſectæ fabulam, ſi per ipſos ſtaret, quam ſubentiſſime continuaturis, ſuperſunt, habendam eſſe rationem: ſcilicet ut tandem aliquando ab odiis et inſectationibus remittant; non immemores, a CHRISTO, eccleſiæ ſuæ domino ac futuro judice, quod ſervis ejus fidelibus obvenit, ſibi ipſi factum reputari.

Quinque vero dotes primariæ, tanquam totidem veri Theologi characteres, præcipue hic notandæ ſunt: doctrinæ puritas, fidei plerophoria, vitæ totius integritas, animas Chriſto lucrifaciendi ſtudium, et huic conformis laborandi aſſiduitas. Abſit vero per omnem modum, ut vel cogitemus, FRANKIUM noſtrum imperfectæ ſortis hominem non fuiſſe, vel ut quiſquam invida mente hoc excipiat. Certe enim charismatum omnium apex et corona

in

in ipſo erat chriſtiana animi, defectuum ac nævorum ſuorum naturalium ſibi probe conſcii, demiſſio, cum paupertatis ſpirituali ſenſu conjuncta, et ut profundius firmiuſque radicata, ſic in ſermonibus et actionibus ipſius adeo conſpicua, ut hæc ipſa reliquas dotes omnes egregie illuſtratas quam maxime nobilitaret. Et quid de ipſo notius eſt, quam quanta cum ſanctioris Zeli contentione peſſimum illud doctrinæ moralis principium, quod in vano vanæ gloriæ ſtimulo ac ſtudio vulgo poni ſolet, impugnaverit, juſta abnegatione et vera mentis ταπεινοφροσυνη commendata. Quidquid igitur in meritiſſimi viri laudem dicitur, nihil eſt, niſi umbra, a virtutum ipſius corpore ac habitu ſparſa; umbra, uti haud quæſita, ſed ſponte ſua inde conſequuta; ſic tamen non evaneſcens, ſed poſteris etiam, ſi qui erunt, ad excitationem aliquam profutura. Quibus adverſus ſiniſtram juſti elogii interpretationem ſic præmiſſis, non poſſimus, non viri dona, quia Dei et ſimul noſtra, noſtris Academiæ et eccleſiæ uſibus data, fuerunt, nec eſſe facile deſinent, grata mente paucis commemorare.

Incorruptæ doctrinæ integritas quam certa in ipſo fuerit ac conſtans, ipſius ſermones publici ac privati abunde declararunt, et haud exigui numeri ſcripta confirmant. Et cum doctrinæ evangelicæ puritas præcipue eluceſcat in dogmatibus ad ſalutis fundamentum et ordinem pertinentibus; quis neſcit, Chriſtum παιδαγωγον doctori noſtro fuiſſe omnia in omnibus? Certe nunquam conciones lectioneſque ipſius ſpiritu erant pleniores, quam in Chriſto prædicando, ejuſque beneficiis pro magnitudine et efficacia ſua illuſtrandis imprimendiſque. Qui, quid Theologia Paulina in receſſu habeat, non neſciunt, Paulum ac diſcipulum ejus genuinum, LUTHERUM, in noſtro ſibi audire et in ſcriptis ejus legere videbantur. Evangelii Chriſti quanta ſit vis ac profunditas, quanta copia ac ſuavitas, quantaque ad transformandos animos ἐνεργεια qui ex ore Theologi noſtri non perceperit, aut ex ſcriptis ejus non perſpexerit vix ullis fuit auditor ac lector docilis. Cum vero iſtud ſalutis fundamentum quod in CHRISTO, et divino redemptionis opere, habemus, non niſi in juſto ſalutis ordine applicari poſſit, et applicatio haec individuſum beneficiorum atque officiorum nexum requirat; noſter hic evangeliſta in utroque momento erat totus. In commonſtratis enim commendatiſque gratiae beneficiis a Chriſto partis, ſeu bonis ſpiritualibus, ad regni Dei intra animam erecti jura et privilegia pertinentibus, illum urgebat ordinem, in quo digna iſtorum receptio ac poſſeſſio fideli et conſtanti officiorum praxi ſe exſerit. Atque ita oſtenſa via Chriſtianiſmi evangelica ea, quæ non minus ſinceritate vitæ, quam fidei plerophoria, ſe commendat, doctrinam Evangelii praecipuam de juſtificatione cum ea de renovatione quam ſapientiſſime conjungebat, auditoribus pie commotis dicens ὡς ἐξουσιαν ἐχων, *Mat.* 7. 28, 29. Imprimis in publica textuum evangelicorum applicatione.

Fidei vero dogmaticæ ipſam fidem animi fuiſſe conformem, eſt, quod ſecundo loco in beato viro æſtimamus. Quemadmodum autem fides ſaluifica gradus ſuos habet diverſos : ita eam in ipſo gradum plane ſingularem attigiſſe, quis eſt, cui ex univerſa ejus vita penitius cognita non cum eximia ſui ipſius ædificatione obverſetur ? Et cum fidei plerophoria omnes ejus actiones animaret dirigeretque ; mirum non erat, eas adeo placuiſſe DEO, ut ab eo ſecundatæ in uberiorem nominis ipſius amplificationem cederent. Nec ignorant amici ejus locutiones ipſi admodum familiares : ſe non poſſe agere quidquam, niſi quod ex fide profluat : ſe ut hoc atque illud agat, fiducia de actione Dei voluntati conſentanea deſtitui, ideoque ab ea abſtinere : ſe ut hoc atque illud in nomine DEI cum plerophoria fidei ſuſcepiſſe : ut alia hujus generis praetereamus. Quin immo fidem beati viri non raro virtutem exſeruiſſe plane heroicam, quis collegarum et amicorum ejus neſcit, et non identidem tacite eſt admiratus ? Cui virtuti ſingulari et extraordinariæ ſi facta reſponderunt plane ſingularia, et ſupra imitationem communis in DEUM fidei poſita ; quis habet, quod hic juſte deſideret ? Aut liberrimæ DEI benignitati, quæ nulli quidquam debet, cum invidia obmurmuret, dicatque : quid facis ? et cur organum gratiae tuae unum reliquis multo reddis ornatius ?

Fidem vero ſaluificam, tot ac tantis gratiae dotibus inſtructam, per charitatem fuiſſe ἐνεργουμένην, ſeu efficaciſſimam, quis dubitaret ? In primis in perpetua ejus praxi, DEO quidem quam maxime cognita, omnium tamen oculis, cum ignis ardens non poſſit non lucere, demiſſo et ſimplici ſeu ad ſolum officiorum debitum reſpiciente, animo expoſita. Et cum in charitatis exercitio officiorum omnium quibus hominis Chriſtiani vita interne et externe occupata eſſe debet, complexus ſit ; vita beati viri univerſa quem exhibuerit typum, ab iis etiam, qui ab ejus uſu et converſatione longius fuerunt ſejuncti, facile poteſt intelligi. Quod vero eam maxime reddebat commendabilem, aliiſque ſaluberrimam, plane eximia erat comitas, cum ſancta gravitate, et, quæ non omnibus data eſt, cum ſingulari facundioris ſermonis ſuavitate conjuncta. Comitas facundior faciliorque influebat in animos cujuſvis conditionis hominum. Sancta vero gravitas eos retinebat in officio, accedente ædificationis ſtudio, etiam verbis curatius declarato. Unde, FRANKIUM habere in ſuo medio, erat verſari ſub oculis ephori, cujus praeſentia, ſanctam praeſentiſſimi Numinis reverentiam gravius præ ſe ferens, non permittebat ullius affectum ac loquelam habenis ſolutam agere, aut proferre, quod ab honeſtate et decoro abhorreret. Nec deerat ipſi parrheſia, comiter quidem, at ſimul pro re nata graviter, et quam liberrime, dicendi, quod res erat. Ceterum quouſque divinitus accenſus charitatis affectus in eo ſit progreſſus,

tot orphanorum aliorumque egentium cura plus quam paterna abunde comprobavit.

Hic vero Theologi noſtri character egregius, in tam foecunda charitatis praxi poſitus, exſerebat ſe, alio, ſcilicet cognato illo, animas Chriſto lucrifaciendi ſtudio. Hoc enim quantum fuerit in ipſo, illi norunt quam optime, quos ſæpius habuit a latere, et qui ejus operæ, in genuino converſionis ordine, ſe in beatum gratiæ ſtatum transferendos, permiſerunt. Tanta certe ſanctioris ſenſus πλεονεξία, ſi ita loqui licet, tenebat ipſum, ut omnes ſuas cogitationes, curaſque et operas, eo intenderet unice, ut animabus Chriſto lucrifactis divini nominis gloriam amplificaret, ad Pauli exemplum, urgentis erga Chriſtum charitatis affectu ſic inflammatus, 2 *Cor.* 5. 14. Nec enim ſufficiebat ipſi hos et iſtos laborum fructus conſpexiſſe: ſed iſti nil niſi calcaria erant ad Paulinum illud ἔτι μᾶλλον καὶ μᾶλλον ſtimulantia. Et hoc erat πλεονέκτειν, ſeu ſancta plus lucrandi ac habendi cupiditate eſſe incenſum, et ad hunc ſcopum, ſine ulla ad vanos ſeculi mores conformatione, cum Paulo omnia fieri omnibus.

Hoc vero amplificandi ſpiritualis lucri ſtudium ut eo felicius ſuccederet, laborandi præſtabat aſſiduitas. Vel ſolus ille eccleſiaſticus Glauchenſis gregis ager ſylveſtris, ſpinis dumiſque horridus, et ipſius culturæ commiſſus, quantum negotii ac difficultatis ipſi obiecerit, non neſciunt cives, ejus miniſterio culti, et ad efficacioris doctrinæ typum formati. Prius enim, quam in munere paſtorali συνεργὸν acciperet, ſingulis dominicis aliiſque feſtis diebus, ut auditores etiam a meridie, quo paſcerentur haberent, conciones duplicabat, addita iſtarum repetitione publica ac veſpertina. Et quamvis diebus per hebdomadem reliquis academia juventus quotidianis inſtruenda eſſet lectionibus; non tamen deſiit etiam cum his eccleſiaſtici gregis curam conjungere; in hoc vero onere ſuo anno nonageſſimo quinto non parum levatus opera Jo. ANASTASII FREYLINGHAUSENII, et deinceps Jo. HIERONYMI WIGLEBII etiam, quos viros dudum meritiſſimos ἰσοψύχους nactus eſt. Anno autem hujus ſeculi decimo quarto munus paſtoris Ulriciani, cum annexa Scholarchatus cura e ſingulari fiducia ablatum ſuſcepit; ſed, ſic exigente utriuſque muneris, academici et eccleſiaſtici, amplitudine, cum ſubſidiario modo dicti FREYLINGHAUSENII, ipſi in paſtoratu adjuncti, officio, imprimis cum inſtitutorum Glauchenſium curæ augerentur. Et cum in tanta occupationum, frequentioribus auditorum utriuſque ordinis, et exterorum etiam, ſalutationibus, miris modis cumulatarum, mole nihil minus exſpectari poſſet, quam ſcriptorum elaboratio; hac etiam academiæ et eccleſiæ haud parce eſſe inſeruitum, nemo ignorat, et gratiſſima mente agnoſcunt illi, quotquot iſtorum lectioni ædificationem ſui inſignem,

nem, ingenua confeſſione declaratam, debent. Abſentibus vero, etiam illis longius diſſitarum regionum, quomodo ſcribendis epiſtolis profuerit, itidem ignotum haud eſt. Egregium, et certe majorem, quam pro multorum opinione, thesaurum epiſtolicum, multa gratia conditum, haberemus, ſi iſtarum daretur copia. Tam catenatis autem cumulatiſque laboribus quod in trigeſimum quintum utriuſque muneris annum ſuffecerit, Dei gratiæ tribuendum eſt, et donis, quibus hæc collegam noſtrum prae multis aliis largius inſtruxerat, et ex iſtis imprimis illi animi ſemper praeſentis, promti, et prudentiſſimi. Et moleſtiſſimum academici Prorectoratus munus, antea detractatum, anno hujus ſeculi decimo ſexto, ordine ſic ferente, denuo oblatum, non minore προθυμία ſuſcepit, quam dexteritate adminiſtravit, hoc ipſo anno, ſi vita ac vires corporis votis noſtris reſpondiſſent, rurſus ſubeundum. Eo autem tunc feliciter finito quam ſerenam benignamque Dei providentiam in itinere, quod ad reparandas corporis vires per diverſas ſuperioris Germaniæ regiones, ſpeciali Serenissimi Regis indultu, in plures menſes ſuſceperat, expertus ſit, cum voluptate recordantur non pauci amicorum, imprimis inter Suevos: uti in Germania inferiore et Belgio illi, quos hujus ſeculi anno quinto, ob eandem valetudinis confirmandæ cauſam, primo itinere ſalutaverat. Nullam enim occaſionem prætermittere ſolebat, quam ædificationi aliorum deprehendebat aptam. Et hanc ipſam ob cauſſam ipſum etiam principalis dignitatis viris fuiſſe chariſſimum, inter multa alia illuſtre exemplum principis Saxozizenſis, Mauritii docet. Hic enim cum ex evangelica eccleſia ad pontificiam tranſiiſſet, vir beatus a ſereniſſima ipſius conjuge anno 17. invitatus, ipſum comite viro illuſtri, Jo. Henrico a Griesheim, ſer. ducis Iſenacenſis conſiliario intimo, ſed haud ita pridem itidem beate defuncto, adiit: cum eoque de negotio religionis ac aeternae ſalutis per Dei gratiam tanto cum ſucceſſu egit, ut is non multo poſt, excitatae conſcientiæ ſtimulis ductus, actu ſacrorum publico ad eccleſiam evangelicam rediret, et hunc collocutionis effectum tam ſalutarem Frankio noſtro, miſſis ad ipſum per curſorem litteris, læto animo ſignificaret.

Haec hactenus de Frankii noſtri dotibus ac meritis, ita comparatis, ut, quam habile ac præſtans vas Domini ille fuerit, inde abunde conſtet. Non prætereunda vero hic ſunt, quae in ipſo plane extraordinaria deprehendimus. Admirandos intelligimus ſucceſſus et ampliſſima incrementa inſtitutorum Glauchenſium, ea Orphanotrophei et paedagogii regii, et quae iſtis annexa ſunt. Habet hic oculus, quae contemplando admiretur multa; at multo plura animus, pie intentus, cum ad Dei providentiam, quae his ſubeſt plane ſingularis; tum ad ſcopi, ad Dei gloriam, multo per ejus gratiam cum effectu directi, ſinceritatem. Coepti continuatique operis hiſtoria, ex vero delineata,

cum

cum prodiisset, pro luculentissimis extantis providentiae DEI vestigiis, tanta fuit ad animos de illa convincendos efficacia, ut atheos etiam, teste ipsorum confessione, in assensum pertraxerit de vera veri Numinis existentia sit etiam convictos.

Puerulos, uti necessariis vitae subsidiis extreme destitutos, sit mente miserrimos ac corruptissimos, ostiatim panem mendicando quaerere viderat vir beatus: horum misertus primum anno superioris seculi nonagesimo quinto scholulam erexit, in qua, submin-istrato etiam victu, isti praecipue animarum haberent curam. Id quod cum feliciter succederet, initium fuit exiguum praesentis orphanotrophei, insequenti anno nonagesimo octavo erecti, et institutorum, quae quo minus primum praevisa ac destinata fuerant, eo celerius ac felicius increverunt. Habent hic non solum utriusque sexus orphani, cum victu amictuque, suam singulis convenientem institutionem: sed adapertae etiam scholae jam ex aliquot annis bis mille circiter, et jam 2096. alumnos praesentes numerant, ut in doctrinae Christianae principiis, sic non minus etiam in literarum studiis, prout discentium sexus et ingenia permittunt, fideli opera et planissima methodo hucusque, et plurima quidem ex parte gratis, institutos. Quibus discentium coetibus cum, sub certorum ephororum directione, praeceptores centum et triginta ex academiae civibus, Theologiae studio deditis, selecti praesint, etiam hi habent, unde vivant, et quo ad munera publica inter docendum praeparentur. *Vis* vero, qui mensae extraordinariae beneficio fruuntur, connumeratis, sexcentos circiter quotidie in orphanotropheo ali, quis crederet, nisi ipse oculis suis subiecisset? Et inter alia eximii usus ornamenta, salutantium oculis obuia, esse bibliothecam orphanotropheo propriam, quae librorum numero ac praestantia cum praecipuis Germaniae bibliothecis certare possit, αὐτοψία ostendit, idem brevi luculentius ostensura, simul ac peculiare aedificium, isti destinatum, hoc ipso anno fuerit consummatum. Officina libraria, cum operis typographicis eidem subservientibus, in quo sit statu, impressorum operum multitudo et praestantia testantur. Et cum non ignotum sit, operis biblici Canstteiniani, scilicet Germanicae editionis, institutum sub peculiari ephoria institutis orphanotrophei annexum esse, silentio praeterire haud possumus, universi codicis impressi, et viliori pretio divenditi, copiam, inde ab anno hujus seculi duodecimo crevisse usque ad formae majoris novendecim editionum, 95000, minoris 23 editionum, 115000 exemplaria, Novi autem foederis, cum Psalmis sejunctim editi in 36. editionum serie, ad exemplaria 192000 per universam Germaniam et exteras etiam regiones distracta, uti editione, sic etiam distractione, porro continuanda. Quod beneficium quo habendum sit loco, quis est, qui non cum admiratione agnoscat? Quid dicamus de Paedagogio, quod a singulari REGIS SERENISSIMI praesidio tutelaque regium vocatur? Habet sane

ſane in eo, de quo ſibi gratuletur Academia, ſcilicet ſeminarium, uti ampliſſimum, ſic illuſtre etiam, non civici ſolum, ſed equeſtris etiam ordinis majorumque dignitatum juventute refertum, et ſub viri rerum ſcholaſticarum peritiſſimi ephoria, praeceptorum 21. ordinariorum et 7. extraordinariorum, curæ commiſſum.

Horum vero inſtitutorum directio quantæ curæ ac prudentiæ, quantæque in Deo collocatæ fiduciæ, opus fuerit, quis non animadvertit, ac intelligit, humeros id requiſiviſſe, iis, quos communis hominum conditio fert, validiores? Nec exiguum divinæ providentiae documentum in eo obſervamus, quod inſtitutorum omnium auctorem non prius directioni per beatam mortem exemit, quam ea in confirmatiori eſſent ſtatu. Ad quod beneficium etiam iſtud acceſſit, quod DEUS viro beato dederit non ſolum generum, Paulino Timotheo jam inde ab annis plus quam triginta, quibus eum συνεργὸν fidiſſimum habuit, ſimillimum, jam ipſo adhuc ſuperſtite orphanotrophei et pædagogii directorem conſtitutum, et ab auguſtiſſimo Rege confirmatum, JO. ANASTASIUM FREYLINGHAUSENIUM, Ulricianæ ædis paſtorem et gymnaſii civici ephorum meritiſſimum; ſed etiam filium patriarum virtutum æmulum, et uti in Theologorum ordine, ſic etiam in miniſterio eccleſiaſtico, collegam digniſſimum, *GOTTHILF* AUGUSTUM FRANKIUM.

Apud exteros etiam patentes vir beatiſſimus fores habuerit, inter alia vel ex eo etiam manifeſtum eſt, quod, cum Auguſtiſſimi Regis Daniæ ac Norvegiae auſpiciis fauſtiſſimis et merito collaudandis arduum Miſſionis evangelicæ negotium apud Indos in gente Malabarica anno cIↃIↃCCV. feliciſſime ſuſceptum eſſet, ſub collegio ephororum Danico illud incrementa ſua praecipua debeat conſiliis ac operis FRANKII noſtri; quem admodum ex integro hiſtoriæ hujus volumine, quod in orphanotropheo impreſſum prodiit, abunde conſtat. Quid idem ſuecis, magno numero in extremo Ruſſiæ imperio captivis, ex inſtructiſſimo divinæ providentiæ penuario, tam corporali, tam ſpirituali, ſubvenerit, paſſim indicat vir generoſiſſimus, C. FRIDERICUS a WRECH, in libro lectu digniſſimo, [*Literæ Germanicæ deſunt.*]

Reſtat, ut nonnulla de viri beatiſſimi familia addamus. Conjugem pro agnito DEI nutu, anno ſuperioris ſeculi nonageſſimo quarto menſe Junio duxit virginem, ſexus ſui decus inſigne, ANNAM MAGDALENAM a WURMB, ex equeſtri et antiquiſſimo WURMBIORUM genere ortam, eamque in conjugio in trigeſimum tertium uſque annum feliciter perdurante fidiſſimam habuit vitae ſociam, id in eo felicitatis nactus, ut poſt filium,

primo-

primogenitum, imprimis ſtatim ætatis ſuæ annis beate defunctum, ex ea ſuſceperit filium, modo dictum GOTTHILF AUGUSTUM, et filiam unicam, JOANNAM SOPHIAM ANASTASIAM. Uti enim hanc retinuit a latere collegæ fideliſſimo, Jo. ANASTASIO FREYLINGHAUSENIO in matrimonium ſuaviſſimis nepotum deliciis foecundarum, collocatam: ſic illum in utroque officio nactus eſt collegam, uti hucuſque bene merentem, ſic poſt hac etiam, faxit DEUS in ſeros ſenectutis annos quam diutiſſime, optime meriturum.

Ad morbum viri optimi ultimum, in quo omnibus ipſum ſalutantibus ædificationi fuit inſigni, ipſamque beatam ejus analyſin quod attinet, ſexageſimum tertium ætatis ſuæ annum attigerat, cum primum repreſſis, aut recedentibus aliquantum, conſuetis ſudoribus nocturnis, in morbum illum ſenibus conſuetum, dyſuriam, ſenſim et magis magiſque implicaretur. In quo cum ſæpius magnis cum doloribus natura ſibi conſulere niteretur, nihil autem per integrum fere biennium tantis conatibus proficeret; ſubito ingens mali converſio facta eſt. Qui motus vitales, huc uſque in majorem intenſi gradum, acerbe ſævierant, ii jam repente deficientes menſe *Novembri* anni 1726. ſiniſtræ manui paralyſin intulerunt; dyſuria reliquiſque motibus, qui ad hæmorrhoidum apertionem tendebant, non ita multo poſt ceſſantibus plane, nec niſi poſt ſex menſes denuo graviorem recurſum mollientibus. Interea beatiſſimus paullatim ſe recolligere, atque ad eam alacritatem firmitatemque virium redire coepit, ut et corpus deambulationibus ſubinde exercere, et animum moderatis quibuſdam ſtudiis et laboribus excitare haud gravate poſſet; neque tamen id, quod omnes boni optabant, effici, neque compluribus licet præſidiis medicis adhibitis, debilitatæ manui ſuæ reſtitui potuit integritas. Perſtitit hæc imbecillior corporis conſtitutio uſque ad diem 25 *Maii* hujus anni, quo die priſtina dyſuriæ incommoda, motuſque hæmorrhoidales reliqui majore cum impetu et vehementia recurſare, et ſpeciem quandam certi ordinis veluti et circuitus, quem medici typum vocant, abſente quamvis vero febrili æſtu, referre videbantur. Quæ cum ambigua et periculi plena eſſe, ideoque circumſpectiſſimam et plurium conſenſu approbatam medicationem requirere judicarentur; non ſolum tres illi Medicinæ doctores, quorum opera orphanotropheo ac pædagogio Regio potiſſimum conſecrata eſt, acciti ſunt ad conſilia ſua quotidie conferenda, et præſentibus ſymptomatis accommodanda, in quo et nulli induſtriæ pepercerunt; ſed etiam hi ipſi de optima tutiſſimaque medendi ratione identidem, dum morbus ſæviebat, cum viris celeberrimis, ampliſſimi ordinis Medicorum ſenibre meritiſſimo, D. FRIDERICO HOFFMANNO, et D. GEORG. DAN. COSCHWITZIO, deliberarunt. At ex his quoque cognoſcere licuit, quam parum adverſus ſapientiſſimum Numinis decretum humana valeant conſilia. Nimirum inter tot

vota plorum, curas domeſticorum, et conatus medentium, morbus majora indies capiebat incrementa, dieque ſeptimo puſtulas rubicundas albis paſſim interſtinctas in ſuperficiem corporis copioſe projiciebat. Simul animadverſum eſt, humores diuturno illo motuum apparatu ad vias urinarias largius congeſtos acrimoniam tandem ulceroſam concepiſſe, ſuæque corruptelæ labem ſolidis, in quibus ſtagnantes hærebant, partibus affricuiſſe: quo factum eſt, ut ultimis diebus ſanies et purulenta quædam materia ſpaſtica vicinarum partium contractione per meatos urinarios evacuaretur. Quanto vero certius ad finem properare videbatur morbus, tanta evidentius motus ſpaſtici circa veſicam et inteſtinum rectum aſperius graſſantes ab acerbitate ſua remittebant; donec tandem æger a corporis doloribus magis ſolutus, animoque per integrum protracti morbi tempus præſenti, tranquillus et pacatiſſimus, decimo quinto die ab ultimo morbi inſultu, qui erat octavus *Junij*, circa horam decimam veſpertinam, in Domino fidenter et placide obdormiſceret, fidei et laborum ſuorum fine in conſummata animæ ſalute ſic quam certiſſime obtento, anno ætatis ſuæ Sexageſimo Quinto. Sic qui cum primis ordinis ſui Collegis, adhuc, quæ Dei eſt gratia, ſuperſtitibus, in trigeſſimum quintum uſque annum utrique muneri tanto cum ſucceſſu præfuit, iis ætate adhuc paulo junior primus deceſſit.

In his tantis morbi incommodis et doloribus, non ſolum, ut filium decebat, ſe totum voluntati patris cæleſtis ſubmiſſit; ſed etiam, cum in priori tum poſteriori morbo ſermonibus piis, quibus vel dulcedinem ſolatii et gaudii divini, quo ab ejus gratia perfundebatur, abunde prodidit; vel amicos lectum circumſtantes hortatus eiſque bene precatus fuit: eaque ratione omnibus atque ſingulis præclarum ad ſanctæ mentis ſtudium præbuit incitamentum. Cum ex primo morbo aliquantulum convaluiſſet, ſingulis fere diebus ad contemplandam æternæ vitæ felicitatem ſeſe dedit eoſque libros de hoc argumento tractantes aut ipſe legit, aut curavit ſibi prælegi. Pluries teſtatus eſt, nulla ex re ſe majorem capere oblectationem. Paucis ante obitum hebdomadibus epiſtolam excitatoriam ad veteres ſuos amicos hujus argumenti dare coepit: ut in ſenectute contra ſenectutem pugnarent, ne argui poſſent, ipſos juvenes in peragendo opere Domini alacres fuiſſe; ætate autem debilitatos languere atque frigere. Die 15to *Maii* in auditorio publico ſcholam paræneticam habuit, de utilitate ex adverſa valetudine, a Theologis, ac verbi divini miniſtris, tum capienda, tum eccleſiæ ſubminiſtranda: quæ et prima poſt morbum priorem fuit et poſtrema ſimul omnium, verbis ei non antea conſuetis finita: Ite, inquiebat, et Domino eſtote benedicti in ſæcula ſæculorum.

Die 24 *Maij*, qui erat Saturni ante Dominicam Exaudi, præſentibus quibuſdam amicis in horto orphanotrophei per horam fere integram

integram preces hujus argumenti ad DEUM misit: Primo laudavit DEUM, quod se modo natum in foedus gratiæ per sacram lotionem receperit, participemque omnis beatitatis in CHRISTO JESU fecerit, et quod in ipsa pueritia efficacem ipsius gratiam sensserit operantem. Commemorabat quadraginta nunc esse annos, ex quo DEUS ipsum ad se traxerit, peccatisque suis longe alia meritum voluptatis cælestis flumine perfuderit; moerore in lætitiam et exsultationem conversio, et pectore amoris divini igne sic accenso, ut depulsa omni tristitia fuerit exclamandum: O pater optime, adeone dulce est lac illud, quo natos tuos cibas? Se quidem, et post conversionem suam, cespitasse sæpius atque offendisse: at præbuisse se DEUM ipsi facilem, exoriri jussisse vultus sui lucem, erroribusque condonatis, nova virtute induisse. Quid? quod tanta implevisti mentem lætitia, ad DEUM inquiebat, ut sustineri posse non videretur. Tum se pluries, addebat, sub dio cum DEO foedus renovasse his prope verbis: si tu meus DEUS eris, ego servus ero tuus; precatumque fuisse: Domine, da mihi liberos, (id quod de largo muneris fructu intellexit) sin vero, morior: da mihi liberos, more roris matutini: da mihi liberos tot, quot sunt stellæ in cælo. Instar canalis, sic perrexit, me esse voluisti, per quem aquæ vivæ in aliorum etiam derivarentur animas: ita exundare eas jussisti, ut nulla sit pars orbis, qua non manaverint. Ergo et ulterius, te jubente, manent, ut fallantur opiniones hominum, ut porro manent verentium: sed uberiori copia jube fluere, ut magis atque magis excrescat hoc bonorum tuorum flumen, et ad finem usque sæculi abundet. Abiebat porro: DEUM ita secum egisse, quemadmodum cum infante agi posset, qui in mensa poneretur, cui domestici et amici munuscula, oblectationis causa, in sinum conjicerent: ita orphanotropheum sibi a DEO datum, atque ad illud se constitutum fuisse, ut quid DEUS faceret, diligenter observaret: sæpius cogitantem quando tandem finem liberalitas patris cælestis habitura sit, comperisse verum esse, quod de DEO prædicatur, aperis benignam manum. Cubitum euntem nova præteriti diei munera celebrasse; cubitu surgentem plenam quasi utramque DEI manum vidisse bonorum. Quam spem et fiduciam DEUS animo suo inspiraverit, eam non falsuram esse, fore nimirum ut bonis prioribus majora sint posteriora. Tum vero DEUM rogabat, ut quos ipsi spirituales dedisset liberos, eos conservaret atque custodiret, librumque superiori anno de plenitudine spiritus publicatum tam largo bearet fructu, ut in omnium tectorum animis ipsi spiritus fructus largo proventu nascerentur. Et quod præsentes amicos partim suo ministerio ad christianæ vitæ culturam perduxisset, partim in ea confirmasset, veller singulos bonis suis cumulare; sic enim sibi exploratum esse, fore, ut aliquando cum ipsis coram throno divino constitutus vere dicere posset: ecce me et liberos, quos mihi dedisti. Addebat, adfirmare Salvatorem: quæcunque patrem meo nomine rogaveritis, ea faciam; item scio, pater, te me semper audire jam vero cum hæ

preces in Christi nomine missæ sint; se confidere, eas auditas fuisse seque fide accipere et apprehendere, quæ precati fuissent; nam habere eum hæc bona omnia, qui credat.

Hoc est argumentum earum precum, quas supra dicto 24. *Maii* die ad DEUM fundebat: insequenti autem die, in quem Dominica Exaudi incidebat, sub vespera, morbo postremo eoque gravissimo correptus fuit; quo ingruente, ferventi animo cælestem patrem rogavit, doceret eum, non modo ad ipsius voluntatem facere, sed etiam pati, ne quemquam aut verbis aut vultu offenderet, quin quidquid ageret diceretque, in aliorum usus et excitationem evenire juberet. Postquam igitur tota illa hebdomade graves dolores pertulisset, iique sub finem hebdomadis valde ingravescerent: suis aliisque bene precatus, inter alia sic loquebatur: Omnes cælo receptos posse gloriari, ex magnis se adesse calamitatibus. Se igitur cælum ingredientem a CHRISTO interrogatum iri unde tu venisti: tum se responsurum: parum quidem est, quod perpessus sum; novissimis autem vitæ meæ diebus magnos dolores toleravi, adeoque iis, qui ex magnis calamitatibus venerunt, sum accensendus. Aiebat porro, non esse glorioſum, si ita dicendum sit: hi molli via in regnum cæleste intraverunt. Fixum igitur manere; per multas calamitates nos regnum DEI intrare oportet. Ad DEUM conversus; Infirmitas mea, inquiebat, est magna; sustentes me, rogo, mi pater. Die 1mo *Junii*, qui primus erat Pentecostes, vehementem calorem sentiens: Cum integra, inquiebat, valetudine usurus sum, hoc est, cum ab sepulcro excitatus fuero; calore non vexabor Ingravescente morbo: Tecum, pater optime, manere volumus, donec nobis exoreris. Circa vesperam ex languido somno excitatus his usus est verbis: Quomodo animus meus adfectus erit, salvator mi, CHRISTE JESU, et quibus gaudiis exsultabo, cum te primum coram sum intuiturus. Porro precatus est: Gratias tibi ago, saluator optime, pro eo, quo me complexus es amore, cum hostis tuus essem, et quod tot ac tanta bona mihi contulisti. Te rogo, ut corpori meo quietem aliquam hac nocte permittere velis. Tu quidem una mentis quies manebis: imo promisisti, me ad quietem tuam æternum duraturam esse perventurum. Addidit: Te laudo atque prædico, quod mihi, ovi tuæ miseræ non vitam solum, sed abundantiam bonorum omnium dedisti. Te præbente, optime salvator, aliquid habemus, te nihil præbente, habemus nihil. Sic igitur omni illo tempore, quo morbo adflictus, animum ad DEUM elevavit, atque in ejus familiaritatem sese insinuavit. Ea nocte propemodum semihoræ spatio, non interpellatus, in hunc fere modum devota mente precatus est: Te igitur, Domine JESU, laudo, quod peccatis me omnibus purgasti, coramque patre tuo regem fecisti atque sacerdotem. Laudo te atque prædico, quod me universo vitæ meæ spatio, matris ritu, manibus prehensum duxisti, neque multis admodum advertitatibus me adfixisti. Ignosce, dulcissime salvator;

Salvator, ſi in acuto hocce morbo, mea hominis voluntas tuæ Dei voluntati, imbecillitatis vitio, ſe non læta atque lubentiſſima ſubmiſit : atque rege me ſpiritu ſancto, auxilioque tuo ad vitæ uſque finem mihi ſuccurre. Novi te eſſe fideliſſimum : me neque deſeres, neque negliges : corpus meum adflictiſſimum gloria et luce circumfuſum ex pulvere revocabis, coramque te lætiſſimus verſabor. Quis tum animi mei ſenſus erit, quando vultum tuum gratioſum primum viſurus ero. Tum orphanotropheum, et conjuncta cum hoc inſtituta Deo commendans ; ſicuti, inquiebat, te vivente Deo fundata, tuaque ope amplificata ſunt ; ita dextra tua porro ea conſervet. Labores meos in te peractos ne ſinas evaneſcere, ſed fructus eorum ad finem ſæculi perdurare. Commendo tibi, Domine Jesu, animam meam, tuæque fidei permitto. Amen ! Amen ! Amen ! Hallelujah ! Die quarto *Junij* : Magnum, inquiebat, Dei eſt beneficium, in tantis meis doloribus, tot et tam pulcra de Chriſto patiente Scripturæ teſtimonia mihi in memoriam revocari. Nocte ſequuta, quum morbi vehementia valde augeſceret, his verbis Salvatorem compellebat ; Animum, Domine Jesu, et ſanguinem ſeda quæſo, atque pulcrum illud munus pentecoſtale moderatum tranquillumque ſpiritum mihi largire. Mane die ſexto *Junij* : Per aſpera, inquiebat, itur ad aſtra : quapropter calicem lubens accepi : ſed impii feces exhaurient. Precans aliquando ajebat : Tibi, fideliſſime Salvator, corpus et animum tradidi : hoc fixum eſto. Hora a meridie ſecunda interrogatus, an ſomnum ſperaret, reſpondit : Dabit eum ſuo tempore pater meus. Sæpe etiam miſericordis ſui ſacerdotis mentionem fecit. Alio quodam die : Vermiculus ſum, inquiebat, cui ſat eſſe debet, ſe a creatore non conculcari aut conquaſſari. Die 8tavo *Junij*, Sanctiſſimæ Trinitati ſacro, advenienti mane genero ſuo, Freylinghausenio manum porrigens dicebat : Nunc languore prorſus confectus ſum. Ubi vero hic precatus eſſet, ut Deus illum ſolatio ſuo recreare atque imbecillitatem ſuſtentare vellet : ipſe, id faciat, inquiebat, Deus optimus atque amantiſſimus, addens, jam animum et cogitationem paululum collecturus ſum. Hora 8tava : Utinam aliquid requietis mihi daretur ! Oro certe : Doce me, Domine, facere ad beneplacitum tuum, ut ne tranſverſum quidem unguem ab eo diſcedam. Porro, cum interrogaviſſet, quid amplius faciendum ſit, ipſe ſibi reſpondebat ; Exſpecto, quid futurum ſit, et laudo ; (reliqua non intellegebantur) Deinde ſuſpiravit ; Ah ! regat me Dominus ! addens ; implorabimus Deum, ut agat, quemadmodum ipſi videbitur, meque regat, ut æquo ſemper animo ipſi obtemperem. Uxori ſuæ dicebat : Deus utique porro juvabit. Interim ſtudeo, ut conditionibus certaminis paream. Inter horam 8vam atque 9nam evigilans : Pergam, Deo juvante, quæ toleranda ſunt, fortiter tolerare. Deinde : Domine, expecto ſalutem tuam : quæ verba modo hebraice,

modo

modo græce, quam sæpissime in morbo suo repetiit. Post unam interrogatus, numquid cupiat, respondit: nihil, patientia mihi jam exercenda est, qua in re Deus me juvet. Herum interrogatus, num quid dolores aliquos sentiret, affirmavit, precatusque fuit, ut Deus ad eos perferendos vires largiretur. Post undecimam quidam Collegarum viri beati, eum verbis ex *Isa.* 43. 1. desumptis compellavit atque confirmavit: cui respondit: Deus pro virtute sua infinita, hoc ratum esse jubeat. Alius ex Collegis ejus, ut *Psalmus* 23. in ipso nunc valeret, precatus, petebat ab eo, ut ipsi bene precari vellet; cui manu in capite ejus posita respondit: Esto igitur Domino in perpetuum benedictus. Post magis magisque defecit, et cum interroganti uxori, an Christum haberet præsentem, respondisset, id non esse dubitandum: languore consopitus tandem, circa decimam, Salvatori suo animam reddidit, quum annos 64. menses 2. hebdomadas 3. vivendo explevisset.

Catalogus

Catalogus Librorum in *Linguâ Latinâ* a Cel. FRANCKIO editorum.

In Octavo.

PRogrammata.
Prælectiones Hermeneuticæ.
Methodus Studii Theologici.
Introductio ad Lectionem Prophetarum, *Jonæ* Præsertim.
Commentatio de Scopo Librorum veteris ac Novi Testamenti.
Lectiones Paræneticæ ad Theologiæ Studiosos.
CHRISTUS Sacræ Scripturæ Nucleus.

In Duodecim.

Manuductio ad Lectionem Sacræ Scripturæ.
Observationes Biblicæ.
Idea Studiosi Theologiæ.
Monita Pastoralia Theologica.

Quos præter Libros, Cel. Vir quatuordecim alios in *Linguâ Germanica* edidit. Sed in hac Regione Typis destituti *Germanicis*, Titulos eorum exprimere non possumus.

FINIS.

Catalogus Librorum in Lingua Latina a Cel. FRANCKIO editorum.



NARRATIO

Rerum memorabilium in eccleſiis Evangelicis, per *Germaniam* et alias regiones ac Provincias, anno 1730. geſtarum: cui accedit commemoratio de ſalutaribus quibuſdam pietati et religioni inſervientibus inſtitutis, eorumque progreſſu atque amplificatione.

PRIMA earum rerum, quae in annalibus eccleſiae Evangelicae ad annum 1730. notari merentur, jure habetur ſecularis Auguſtanae Confeſſionis, ab Ordinibus Imperii Germanici Proteſtantibus anno 1530 in comitiis Auguſtanis exhibitae, memoria, die 25 *Junij* anni ſuperioris renovata, et in pleriſque Germaniae locis ab ſociis Auguſtanae Confeſſionis ſolemni ſacroque ritu per tres dies concelebrata. Auguſta Vindelicorum, celeberrima Imperii civitas, in qua haec Confeſſio anno 1530. exhibita fuit, in communi hac laetitia non ſolemni tantum ſacrorum ſaecularium concelebratione, ſed aliis etiam rebus eminuit atque conſpicua fuit: quippe ex decreto et inſtituto magnifici ſenatus Evangelicae partis, et Rev. Miniſterii ejuſdem civitatis, poſtquam verbis ad movendos animos admodum accommodatis feriae ſaeculares indictae eſſent, non tribus modo diebus ſacra facta ſunt laetitiae pleniſſima; ſed et quartam addiderunt feriam, qua, cum memoriae Petri et Pauli Apoſtolorum ſacra eſſet, pueri puellaeque, gaudii et excitationis majoris gratia, a natu majoribus ſeparatim ſolemnia ſaecularia peragerent. Praeterea tribus primis Jubilei diebus pro re Evangelica in univerſum, quarto autem, qui Petro Pauloque feſtus erat, nominatim pro coetu Malabarico in India ad Chriſtum per Danicos Miſſionarios adducto, et, prout formula intimationis habet, in ſubſidium omnium illorum inſtitutorum, quae ibi inchoata, ad propagandum inter gentiles Evangelium ſpectant, ſymbolas publice conferendas mandaverunt: grato nimirum animo divinum illud opus reputantes, quo chriſtiana religio, et ea quidem, quae Auguſtanae Confeſſioni conſentanea,

ſentanea, tantae paganorum multitudini innotuerit atque conciliata fuerit. Cui poſteriori conſilio, quanquam initio aliquantiſper repugnari viſum eſt, flexanimo tamen Rev. Miniſterii ſuaſu tam felici ſucceſſu fuit obtemperatum, ut in ſolos uſus laudatae apud Indos Miſſionis, et inſtitutorum eo pertinentium, mille et centum nummi imperialis, moneta Anglicana ducentis prope libris Sterlingicis valentes, in arculas et loculos, pro templis Evangelicorum eo fine expoſitos, dejecti reperirentur. Qua in re cives laudatiſſimae urbis doctrinae Evangelicae addicti, iique omnis loci atque conditionis, quantas ſe DEO debere putarent gratias, quod, per ipſius gratiam, duobus ante ſaeculis, lux Evangelii ex Papatus caligine rurſus effulſerit, editaque periculoſiſſimis temporibus libera veritatis confeſſione, eccleſiae Evangelicae tam praeclarum a DEO beneficium contigerit, re & opere declararunt; ſingulari nempe caritate cum in omnes religionis ſuae ſocios, tum in illos praeſertim deprompta, qui in diſſitiſſimis regionibus ex gentilibus ad Chriſtum accedunt: quae illorum liberalitas, et eventus docuit, alios etiam religionis Evangelicae aſſeclas, pulcerrimo exemplo, ad parem beneficentiam excitavit. Magno autem in hac re adjumento fuit opera et diligentia Viri Plurimum Reverendi *Ulſpergeri*, Auguſtani Miniſterii Senioris, cujus et alii labores publici privatique, in vinea Domini inſumti, optato ſucceſſu non carent. Theologos porro Evangelicos, tum Auguſtae, tum in aliis Germaniae locis, Confeſſionis duobus ante ſaeculis exhibitae, theſauri et cimelii noſtrarum eccleſiarum preſtantiſſimi, memoria permovit, ut non ſolum de iſta confeſſione et ejus hiſtoria praeclaros quoſdam libros emitterent in lucem, ſed in concionibus etiam ſacris, id quod apud nos Halae quoque factum, aut praecipua Confeſſionis capita, aut ejus ipſius hiſtoriam, doctrinae pleniſſimam, et ea, quae ante et poſt exhibitionem acciderunt, populo explicarent et enarrarent. Ita vero et laudes confeſſorum Evangelicae veritatis renovatae ſunt, et quod paſſim animadverſum eſt, multi non ſolum eccleſiae Proteſtantium cives, non aequi ingentis hujus et incomparabilis beneficii et veritatis Evangelicae aeſtimatores, ſed quidam etiam aliarum religionum homines, de iſtis rebus edocti, quodam laetitiae et grati animi ſenſu adfecti fuerunt. Ex horum numero eſt ille, qui, cum Viennae Auſtriacae adoleſcentis equeſtri ſplendidaque familia nati moribus ſtudiiſque praefectus eſſet, ſacris ſaecularibus occaſionem praebentibus, de veritate Evangelici dogmatis convictus, nunc ſingulari induſtria pietatem Chriſtianam colit, beneficiumque a DEO in ſe profectum magni faciens cupidus eſt, Pontificiae religionis ſectatores, e quorum numero ipſe abhinc erat, docendi, quibus in tenebris verſentur, et quantum a Chriſto ejuſque cognitione et ſalute ſint alieni. *Auguſtus* Romanorum Imperator Auguſtam in primis, cujus civitatis pars haud exigua pontifici paret, decretum illud graviſſimum, quo interdixit, ne quis ulla ratione Evangelicorum

licorum ſolemnia turbaret : quo factum eſt, ut et illo in loco, et aliis pleriſque, ubi cum Evangelicis homines Romanis ſacris dediti vivunt, pacate omnia tranſigerentur. Et quanquam, paucis quibuſdam in locis, quidam ex clero pontificio indignationem atque dolorem, ex feriis magnopere ſibi inviſis conceptum, acerbis conviciis atque contumeliis in Evangelicos jactatis prodiderunt : nihil tamen mali illa acerbitas effecit, neque omnibus pontificiorum ſacrorum cultoribus, ſive ſummis, ſive infirmis, ſeſe probavit.

In his tamen anni ſaecularis laetitiae publicae teſtificationibus Deus nonnullos, eoſque conſtantes Evangelicae veritatis ex tenebris Papatus nova luce obortae confeſſores, ratione illorum temporum habita, de quibus Cap. V, VI, & VII. Actorum legitur, dignatus eſt, quos adverſis calamitoſiſque rebus exerceret. Etenim ipſo hoc tricesimo hujus ſaeculi anno egregii quidam verbi divini praecones in Sileſia graviſſime vexati, & tres eorum, qui ſacro munere ad aedem ſacram Teſchinienſem, Evangelicis Caeſarea gratia conceſſam & indultam, fungebantur, cum duobus ſcholae Collegis, poſtquam per aliquot annos ſevero in eos judicio inquiſitum fuit, atque cum alio Evangelii miniſtro in Ducatu Sileſiae Bregenſi ſemeſtrem cuſtodiam perpeſſo, muneribus ſuis exuti, &, neglecta potentiſſimi Boruſſiae regis deprecatione, ex Provinciis Imperatoris haereditariis, facta per iusjurandum fide, ſe nunquam in eas reverſuros eſſe, ejecti fuerunt. In Hungaria itidem quidam Evangelici Paſtores varias vexationes atque calamitates pertoleraverunt. Quod quidem ad quatuor illos ex Sileſia Evangelii cauſſa expulſos attinet verbi miniſtros, illorum exturbandorum occaſionem, proh dolor ! ipſi illorum nomine tenus Evangelici collegae, qui eccleſiarum ſuarum in illos quatuor Paſtores voluntates atque ſtudia inique graviterque tulerunt, erroneorum dogmatum accuſatione ſuppeditaverunt. Laudati autem illi praecones Evangelii fideliſſimi, tametſi doctrinam ſuam ab omni erroris ſuſpicione ſatis purgaverunt, eoſque Collegium Theologorum Jenenſium & Supremum Electoris Saxonici Conſiſtorium Dreſdenſe, cauſſa cognita, datisque reſponſis, ab omni ἀλογοδοξίας labe liberavit : hanc tamen damni Evangelicis inferendi opportunitatem magiſtratus pontificius & papicolae ſacerdotes, illis accuſatoribus clam accendentes, nequaquam dimittendam eſſe putaverunt. Namque deprehendebant, fideles hos CHRISTI ſervos doctrinas Evangelicas cum in concionibus, tum in aliis occaſionibus, tanto Sermonis prudentis pondere explicaſſe, tantaque opera, tanto labore atque ſtudio ad ſolidam illarum cognitionem eccleſias ſuas, quadraginta millibus circiter hominibus compoſitas, inſtituiſſe, ut non ſolum ipſorum auditores Evangelicae fidei addicti in illa probe confirmati, ſed alii etiam ad veritatem Evangelicam agnoſcendam ſint adducti ; ſiquidem praeſtantium illorum virorum labores non modo perverſis ipſorum

et iniquis consiliis impedimento erant, sed & papalis religionis sectatores non pauci veritatis Evangelicae convicti et labefactati ad castra sua deserenda impellebantur. Rebus ita comparatis non ante quieverunt, perficerent, ut Pastores saepius nominati, cum Praeceptoribus scholasticis, tamquam homines heterodoxi, et quorundam delictorum, quae tamen liquidissime diluerant, rei, muneribus omnes abdicati, e terris silesiae ejicerentur. Quam acerbe vero injuriam illam, & quam graviter tantam calamitatem coetus Evangelicorum numerosissimi ferant, quibus & fideles hi Pastores vita sua cariores fuerunt, & qui salutari ad veritatem institutione ab illorum discessu prorsus carent, non magis, quam status, in quo nunc sunt, afflictissimus atque luctuosissimus, potest verbis declarari. Qui harum rerum perspectas habent rationes, non possunt non hanc adversitatem plurium vexationum praenunciam reputare : occulta quippe consilia & machinationes cleri pontificii, passim locorum tolerantiam personatam prae se ferentis, satis emicant, satisque produnt, non voluntatem, sed vires deesse, quo minus veritatem Evangelicam, ejusque confessores, ad incitas redigant atque funditus extirpent. Interim Pastores isti atque Praeceptores exules, Christi insignibus notati atque conspicui, his in regionibus cum summa caritatis testificatione excepti, & partim jam aliis muneribus sunt ornati. Etenim primo eorum, cui nomen *Steinmetz*, in principatu Baruthino multarum ecclesiarum ephoria, seu provincia superintendentis gravissima, est demandata, quam non multo abhinc tempore ingressus ita ornat, ut tam in ipsius ecclesia, quam vicinis quibusdam locis, multorum animi ad pietatem mirifica benedictione excitentur. De collega ejus, *Muthmanno*, quem sereniſſimus Dux Saxo-Salfeldensis muneri ecclesiastico adhibere constituit, haud infelicior successus, Deo favente, speratur. In his ipsis itaque adversitatibus divinam benignitatem grato animo agnoscimus, quod Deus non solum vexatos hos atque ejectos fideles servos aliis in locis uberes ferre jubet fructus ; sed ea propter etiam laetamur, quod verae pietatis studium, tamquam legitimus Evangelicae veritatis fructus, quo testari atque comprobare necesse est, nos ex animo vereque Evangelium profiteri, in Germanicis exterisque regionibus magis atque magis efflorescat, regnumque Jesu Christi amplificetur, nec non numerus omnis loci atque conditionis hominum illam rem studiose adjuvantium augeatur.

Apud nos Halae *D. Antonium*, integerrimum Theologum et alacrem propagandi caelestis regni administrum, itemque *Past. Wiegl bium*, seruum Dei non minus industrium & vigilantem, Historia ecclesiastica Germanico sermone scripta celebrem, illorum obitu perdidimus : sed & hujus locum jam alius vir doctrina ac pietate praestans tenet ; et spes est, fore, ut & in primum locum, qui est Professionis Theologicae, ab ejusmodi

viro

viro ſuccedatur : quali viro ea cauſſa vel maxime opus eſſe videtur, quod in hac Academia, uti Juris & Medicinae ſtudioſorum, ita et Theologiae cultorum, qui ſoli numerum ſexcentorum ſuperant, frequens eſt numerus. Non enim illi ſolum, qui in provinciis Boruſſorum Regis muneribus ſacris praeficiendi ſunt, in noſtram diſciplinam dantur ; ſed pro aliis etiam exteriſque regionibus idonei probique viri ſubinde expetuntur, qui aut privatim inſtituendae aetati tenerae operam navent, aut publice, ſive in ſcholis, ſive in templis, docendi munus obeant.

Neque ita pridem unus ex urbis noſtrae eccleſiaſtis, *Lindhammerus*, docto pioque in Acta Apoſtolorum commentario celebris, ad provinciam Superintendentis Generalis eccleſiarum Friſiae Orientalis ſuſcipiendam iterum iterumque vocatus, eo conceſſit.

Scholae in et ab Orphanotropheo inſtitutae, in quibus amplius 2200 cum advenae tum indigenae diſcipuli, utriuſque ſexus, ad pietatem atque literas, et majorem quidem partem gratuito, eruduntur, adoleſcentibus Theologiae ſtudioſis, futuriſque eccleſiarum ſcholarumque Miniſtris atque Magiſtris, porro campum aperiunt, in quo utiliſſime exerceri et praeparari queant, quippe qui, victu quotidiano, eoque gratuito, et aliis beneficiis fruentes, rationem docendarum literarum et inſtillandae puerilibus animis doctrinae Chriſtianae ipſo uſu et exercitio diſcere, et ad obeunda aliquando munera feliciſſime ſe praeparare poſſunt. Quidam quippe illorum adhibentur, partim ut centum et quinquaginta utriuſque ſexus orphanis, qui in orphanotropheo gratis nutriuntur et educantur, ſtudioſe invigilent, partim ut eorum alumnorum curam gerant, qui ſuo ſumtu in Orphanotropheo degunt, qui, ſi addas Paedagogii Regii alumnos, ſunt fere ſexcenti. Ad inſtituendam vero et cuſtodiendam curandamque tantam puerorum et adoleſcentium multitudinem plus quam ducentis opus eſt Praeceptoribus ; nihilo tamen minus benignitate atque liberalitate divina adhuc factum eſt, ut haec Inſtituta non ſolum ex animi ſententia continuarentur, ſed etiam amplificarentur ; et cum anno ſuperiore ſcholarum Germanicarum in Orphanotropheo Inſpector hanc vitam reliquiſſet, Deus alium cognitae perſpectaeque fidei et dexteritatis Virum ſubmiſit. Eſt is *Dn. Miſchke*, qui anno 1727 eadem fata quae anno proxime elapſo Eccleſiaſtae Teſchinienſes, expertus fuit, et propter domum Glauchae ſileſiacae in Principatu Olſnenſi ad educandos orphanos, et ſuſtentandas viduas pauperiores, animo providentiae divinae innixo aedificatam, mandato Imperatoris ex univerſis ejus provinciis, una cum Collegis ſuis, ſubito demigrare coactus eſt ; ipſum orphanotropheum autem clauſum, et ſalutaria quaevis inſtituta diſturbata. Tempore ſequuto laudatus Miſchkius Saraviae in Luſatia inferiore eccleſiaſtae munere functus, et ſimul orphanotropheo et ſcholae ejus loci, a Comite Promnitio ſuo ſumtu fundatis atque ſuſtentatis, fuit praefectus.

Quod

Quod ſpeciatim ad Paedagogium noſtrum pertinet, in quo Comitum, Baronum, Equitum et aliorum lautioris conditionis hominum filii plus quam nonaginta ſtudiorum cauſſa degunt, et ſeparata in domo ſuos Inſpectores et Praeceptores a reliquis ſeparatim habent, factum eſt beneficio divino, ut nonnulli equeſtri loco nati adoleſcentes et educati in hoc Poedagogio, cum in Academiam noſtram concederent, in via pietatis, ad quam perducti erant, progrederentur, atque inſigne commilitonibus praebeant exemplum. Etenim et ipſi, et cum eis alii etiam ſtudioſi Juris, cujuscunque conditionis, tam ſanctam inter ſe, cum plus quam viginti ſint, cojerunt amicitiam, ut ſingulis hebdomadibus ſemel, id quod ante hac vix auditum eſt, in privatis aedibus conveniant, preces conjuncto ſtudio fundant, ſuper dictis Biblicis mutuae cohortationis cauſſa quaedam proponant, vitaeque ſtudeant integritati. Proinde ſperari poteſt, fore, ut in hoc ſeminario pii Politici, adhuc ſatis rari, adoleſcant, quibus propagatio regni divini curae ſit atque cordi. In piis hiſce Juris cultoribus quidam numerandi ſunt Comites, in Academia noſtra ſtudiis doctrinae operam navantes, qui, virtutis chriſtianae ſtudioſi, commilitonibus induſtriae honeſtae et laudabilis vitae exemplum hactenus praebuerunt. Quae omnia beneficiis divinis in noſtram aetatem collatis jure accenſentur.

Cl. Callenbergius, Profeſſor Philoſ. extraordin. labores ſuos convertendis ad Chriſtum Judaeis adhuc inſumtos, etiam nunc gnavus proſequitur, eoque conſilio quaedam ſcripta evulgavit.

Porro Bibliotheca Orphanotrophei, curae laudati Dn. Profeſſoris Callenbergii demandata, ejuſque ſtudio in ordinem redacta, cui recipiendae anno ſuperiore domus peculiaris exſtructa fuit, ita nunc eſt inſtructa et adornata, ut ſingulis diebus aliquot horas pateat, eaque ſtudioſi adoleſcentes non ſine ipſorum commodis utantur. Non minus amplum illud aedificium orphanotropheo adjunctum, in cujus inferiore parte eſt coenaculum, in ſuperiori acroaterium majus plus quam bis mille hominum capax, cum vetus labefactatum ruinam minaretur, inde a fundamentis, Deo adjuvante, novum e ſaxo fuit exſtructum, itemque nova ſchola, ſumtus praebente orphanotropheo, in ſuburbio noſtro eſt exaedificata, in quo ſuburbio jam et aliae quoque aedes ad hunc uſum parantur.

His nunc rebus eas narratio noſtra addit, quas, aliis ex locis per commertium noſtrum litterarium acceptas, ad gloriam divini nominis pertinere arbitramur. Nos vero non ſolum generatim intuitu omnium provinciarum Boruſſicarum, in quibus ſuperioribus his annis multi Theologi, nomine ſuo digni, in Academia Halenſi ad munera ſacra inſtitutis, jam paſſim locorum cum fructu laborant, ſed nominatim etiam intuitu Univerſitatis

Regiae

Regiae Regiomotanae in Boruſſia, ex inſtitutis ſalutaribus fructus gaudiique partem percipimus: quippe et in Academia jam nominata Viri quidam cogniti atque ſpectati tam Theologiam quam Philoſophiam profitentur, qui Deo adjuvante in noſtra Academia fundamenta eruditionis et pietatis jecerunt. Illi nimirum, odiis adverſariorum et machinationibus non impediti, omni ſtudio, opera atque labore coeleſte regnum progagare annituntur, eoque fine fraterna non ſolum inter ſe caritate conſpirant, ſed etiam cum Theologis hujus Academiae, quae Halae eſt, arctiſſimo amicitiae atque commercii literarii vinculo continentur. Praecipua iſtorum cura eſt, ut muneribus tam eccleſiaſticis quam ſcholaſticis in terris Boruſſiae probi et idonei et ſpectatae vitae viri praeficiantur: quod negotium quibuſdam ex iſtis nominatim ſereniſſimus Rex Boruſſiae verbis dedit longe graviſſimis. Juvandi ejus conſilii cauſſa Rex quoque potentiſſimus in Academia noſtra ſeminarium quoddam Litthuanicum curavit inſtituendum, quod 14 Theologiae ſtudioſis componitur, gratuito victu fruentibus et linguam Litthuanicam perdiſcentibus. Quae res tam laetum habuit ſucceſſum, ut non ſolum Grammatica Litthuanica, parvumque Dictionarium, et libellus inſtituendis ad doctrinam Chriſtianam pueris accommodatus, ſermone Litthuanico Halae jam impreſſus exſtet; ſed decem jam Candidati ex hoc ſeminario Regiomontum miſſi ſint, atque inde in eos locos regni Boruſſici, in quibus Litthuanicum idioma floret, ad ſacra munera obeunda ablegati.

Non minus vero et ea bona ad nos pertinere exiſtimamus, quae in vicinis Academiis, aliisque Germaniae locis, immo in diſſitis regionibus, beneficio divino effloreſcunt. Ita Lipſiae nonnulli ſunt pietatis non minus, quam Theologiae ſtudioſi adoleſcentes, qui diſciplinam atque doctrinam Viri inſignis, Pfeifferi, Theologiae Doctoris atque Profeſſoris, ſequuntur.

Jenae *D. Walchius*, merituſſimi Theologi, *Franciſci Buddei*, gener atque in munere ſucceſſor, itidem nervos intendit omnes, ut Theologiae cultores cum ad ſolidam rerum cognitionem, tum ad ipſam rerum actionem, pietatiſque diligentem culturam, et excitet et perducat. Eodem in loco pii quidam agunt Philoſophiae Magiſtri, qui, quanto poſſunt ſtudio et opere, commoda ſtudioſorum Theologiae juvare laborant.

Praecipuum vero hujus Academiae bonum ſunt impraeſentiarum ſcholae, a piis ſtudioſis, numero triginta et aliquot, ſua ſponte inſtitutae, nunc autem ab Sereniſſimo urbis Domino confirmatae, in quibus ipſi gratis, magna cum induſtria, fide atque dexteritate, magnam tenerae aetatis multitudinem, multo cum ejus fructu, cognitione doctrinae Chriſtianae atque neceſſariarum rerum imbuunt. Ephoros ſuos hi ſtudioſi inter ſe conſtituunt, fideique

fideique et caritatis indivulso sociantur vinculo, neque quorum consuetudine utantur, alios celant. Est sane hoc fertile seminarium, ex quo jam non pauci idonei et probati Theologiae cultores alios in locos transplantati sunt, ubi fructus suos ferunt. Praeterea laudati isti sacrarum literarum cultores cum Jenae inter adultos etiam habent, qui eorum doctrina et exemplo emendantur; tum in vicinis aliquot locis non desunt, quos ad pietatem excitare et cohortari solent.

Praeter illa Deus et in aliis viciniae nostrae locis, superiore tempore, opus suum succedere jussit, cujus progressum et hoc anno 1730 exoptatum animadvertimus.

Serenissimus Dux Saxo-Salfeldensis regens, *Christianus Ernestus*, cujus animum Deus egregiis virtutibus et singulari boni promovendi studio exornavit, accepto nunc regiminis clavo, praeclaram navat operam, ut regionis suae ecclesiis atque scholis integrae probitatis et spectatae dexteritatis viri adhibeantur. Superiori quidem anno, ut alium quaedam verbi divini ministrum taceam vir praeclarae doctrinae et virtutis, *Hilligerus*, Ducis Saxo-Vinariensis antehac ecclesiastes aulicus et Consistorii Consiliarius, Superintendentis provinciam est ingressus, et propediem Muthmannus, cum illis, de quibus diximus, Evangelii praeconibus ex Silesia ejectus, in regione Salfeldensi spartam ecclesiasticam nanciscetur. Id etiam Dux pius et dignus Ernesti Pii nepos studiosissime agit, ut rerum quoque civilium cura et administratio non dubiae pietatis viris demandetur.

Serenissimus *Marchio Baruthinus* similiter, ut res Christiana in ipsius principatu floreat, allaborat, eoque consilio proximo anno non solum orphanotrophium condidit, cujus curam vir praestantissimus *Silchmullerus*, Concionator Aulicus et Serenissimi Marchionis Confessionarius, geret; sed etiam Rev. *Steinmetzium*, ecclesiasten ex Silesia ejectum, Neostadii ad Aischam, suae dictionis oppido, Superintendentem atque Pastorem, *Sargänckum* vero, scholae Teschinensis Collegam una cum illo in exilium missum, scholae Neostadiensis Rectorem constituit, eo fine, ut schola haec laetius efflorescat, pubesque scholastica disciplinis liberalibus probe erudiatur. Spem hinc concipimus haud exiguam, fore ut in terris Baruthinis regnum Christi magis atque magis amplificetur.

Cothenii, quod paucis Hala abest milliaribus, sedemque Principi ex domo serenissima *Anhaltina* praebet, praeter Principis Serenissimae concionatorem Aulicum, Allendorfium, alii quidam homines pietatis laude conspicui degunt, inter eosque nobiles quaedam foeminae existunt, quae in coenobio, ab serenissima Principe vidua condito, singulari studio pietatem colunt, aliosque ad eandem prosequendam excitare annituntur.

In

In Ducatu Weisſenfelſenſi orphanotropheum, ab homine infimi loci, auriga nimirum, qui anno ſuperiori defunctus eſt, magna cum animi fiducia in DEO firmiſſime collocata, in pago Langendorffio exſtructum, et ſchola, quae in eo eſt, florere non deſinit, numeruſque eorum, qui domo huic interſunt, cum tenerae, tum adultae aetatis, ad centum et decem accedit.

Soraviae, inferioris Luſatiae oppido, fideles etiam ſunt quidam Chriſti ſerui, augendo ejus regno nervos intendentes: inſtitutumque ibi ab Illuſtriſſimo Comite *Promnitio* orphanotropheum felicem etiam nunc habet ſucceſſum. Defuncto autem ſuperiori anno Superintendenti *Joſepho* laudatus Comes Reverendum Virum *Dn. Wendium* ſuffecit, qui proxime quidem Metropolitanus dioceſeos alicujus Haſſo-Darmſtadtinae, olim vero puerorum nobilium, Principi Regio Daniae, *Carolo*, famulantium Paedagogus, Collegiique Miſſionis Malabaricae cauſſa inſtituti Secretarius fuit, jam vero Soraviam ad obeundum Superintendentis munus diſceſſit.

In gente Comitum Ruthenorum, ex qua notiſſimi, inde ab aliquot annis, Chriſtianae virtuti operam dederunt, numerus eorum, qui pietati ſtudent, augetur, illiique in his Comitibus, qui ad regiminis clavum ſedent, omnem adhibent induſtriam, ut res Chriſtiana in ipſorum terris, in quibus, ſi cum regionibus multo latioribus comparentur, non exiguus eſt piorum et fidelium verbi Miniſtrorum numerus, majora ſubinde capiat incrementa.

Illuſtriſſimus Comes *Henckelius*, in principatu Altenburgico degens, et Scripto, quod Horas noviſſimas appellat, celebratus, cum quibuſdam Comitum Ruthenorum familiariter pieque conjunctus, eundem ducit funem. Etenim in ipſius Comitumque Ruthenorum domo aliqua pii quidam Paſtores illorum locorum, numero ad decem duodecemve, quarto et decimo quoque die conventum celebrant, in quo, gratia DEI prius implorata, animiſque verbi divini commentatione excitatis, de rebus in adminiſtrando eccleſiaſtico munere occurrentibus in medium deliberant, ſummamque dictorum in tabulas referunt. Hoc inſtitutum *B. Prof. Franckius* primus ſuaſit, idque cum fructu multo ad hunc uſque diem, et in multorum commoda, continuatum fuit. Dictus jam Comes *Henckelius* illa porro in re Imitationis JESU CHRISTI exemplum edidit, quod expulſos Teſchinia tres verbi divini praecones, et utrumque ſchola Collegam, cum familiis iſtorum, amantiſſime domo ſua excepit, eoſque ſuſtentavit, donec alius poſt alium vitae ſuſtinendae rationem alibi reperiret: quamquam unus ex his Paſtoribus, nondum aliorſum ad munus vocatus, etiam nunc apud laudatiſſimum Comitem agit, ejuſque beneficentia et liberalitate, cum familia ſua, fruitur.

Excellentiſſimus Comes *Stolberga-Wernigerodanus*, poſtquam et ipſe et domus ejus, paucis abhinc annis, opera Rev. *Zimmermanni*, Eccleſiaſtae Aulici pii atque docti, qui olim Jenae Magiſter legens fructuoſum ſtudioſis Theologiae erudiendis impendit ſtudium, ad pietatis culturam ſunt excitati, ab illo tempore non ſolum idoneos verbi miniſtros et ſolertes Catechetas eccleſiis ſcholiſque adhibuit; ſed paſſim etiam fructus inde enatos videre licuit, et ſpes eſt, fore, ut pietatis ſtudium in univerſa Comitum Stolbergenſium familia vigere incipiat.

Ut nunc regiones magis remotas attingamus, confidimus arceſſitum in Friſiam orientalem ad generalis Superintendentis munus Lindhammerum, alioſque officiis ſuis jamiam fungentes Dei ſervos, coepta bona ſtrenue eſſe proſequuturos atque amplificaturos; quippe ad quem finem Sereniſſimus etiam regionis Princeps animum intendit.

In Dania non ſine cauſſa ſperatur, Regem, nunc rerum potitum, cum propagationem Evangelii ad Indos Tamulicos, et ad gentes boreales imperio Danico ſubiectas, tum vero ſucceſſum omnium inſtitutorum ſalutarium in univerſo regno, eſſe ſtudioſe curaturum. Holſatia quoque Danica, praeter Praepoſitos Schraderum et Mercatum, alios quoſdam Evangelii miniſtros ſpectatae virtutis habet, qui opus Domini urgent: praeſertim Mercatus, Praepoſitus, ſpe ſua et fiducia in Dei providentia firmiſſime repoſita, orphanotropheum Schleſvici aedificavit, ad Bibliopolium in eo inſtruxit; quod quidem orphanotropheum Rex proxime defunctus, cum Schleſvici ageret, ipſe luſtravit, et re et opere liberalem in illud ſe praebuit.

Nec Sueciae deſunt Viri probitate commendabiles et eccleſiae ſalutis ſtudioſi. In illis ſunt Epiſcopus Collmarienſis Schroederus, quin etiam nonnulli Copiarum militarium Duces atque praefecti, qui aut ipſi in Siberia captivi, aut per illos, qui in Siberia ad meliorem frugem redierunt, pietatis amore ſunt accenſi. In Livonia, praecipue Revaliae, ulteriorem eumque fortunatum ſcholae inſtitutae habent ſucceſſum. Paſtores enim eccleſiarum, *Mickwitz* et *Vierort*, iſtuc olim ex noſtra Academia tranſmiſſi, qui providentiae divinae confiſi orphanotropheum ibi condiderunt, ut fines regni coeleſtis in illis regionibus magis atque magis proferant, aliis etiam hoc opus adjuvantibus, omni ſtudio contendunt: cui rei et exemplum et opera nobiliſſimae foeminae, Allardi, Ruſſicarum copiarum Ducis, viduae uxoris, matronae optimae, magno eſt adjumento, quae, et verum pietati pretium et domi ſuae et ab ſubditis ſtatuatur, mirum in modum allaborat. Non raro etiam adhoc ſtudioſi nonnulli a nobis mittuntur, qui aut ſcholae Revalienſi publicam, aut nobilibus aliiſque ſplendidioris conditionis hominibus privatam, in docendis ipſorum liberis,

conditionis

operam navent, et deinceps muneribus gravioribus in illis terris ornentur. Illuſtriſſimo Comiti ac Duci militari *Munnich*, ipſius rogatu, vir ſpectate doctrinae et virtutis ex loco noſtro Petroburgum S. Petropolim miſſus eſt, qui et liberos ejus ad pietatem et litteras inſtituit, et domi ejus ſacras conciones habet, et jam cum aliis quibuſdam piis verbi divini praeconibus non ſine fructu officio ſuo perfungitur. Item alius quidam Theologiae ſtudioſus Muſcoviam a nobis conceſſit ubi metallifoſſoribus eſt a ſacris atque concionibus.

Ut tandem ad illas regiones veniamus, in quibus pontificia doctrina dominatur, Viennae quidem unus ex Legatis, Venetiis autem mercatores Evangelici eccleſiaſten idoneum atque pium aluit. Uterque Theologis Halenſibus litterario commercio conjunctus eſt, et utroque ex loco, ſuperiori anno, miſſe ſimiliter nummi imperiales in uſum et commoda Miſſionis Evangelicae in India orientali florentis fuerunt tranſmiſſi.

Bachſtromius, Medicinae Doctor, et olim in Polonia Evangelii Miniſter, qui Conſtantinopoli regnante *Achmeto* III. ad ſupremum Imperii ipſius adminiſtrum humaniſſime admiſſus, et ad inſtruendam typographiam cum aliis adhibitus fuit, in Germaniam anno proxime elapſo rediit, uxorem liberoſque ſecum abducturus, ſpe concepta, fore, ut boni aliquid in aula Turcica efficiatur: ſed iter jam ingreſſus in Polonia in morbum incidit, eaque ratione periculum, quod in ſeditione Conſtantinopolitana incurrere poterat, evitavit. An in praeſenti rerum Turcicarum ſtatu conſilium exſequuturus ſit, ignoramus.

Quod denique ad propagationem Evangelii in Orientali India, et ad ejus ſtatum et ſucceſſum pertinet, eum Relationes typis impreſſae docent, et multa, quae gaudio ſunt piis hominibus, exponunt.

Deo autem Optimo Maximo, cujus gratia et fides eſt aeterna, pro gratia et auxilio eccleſiae ſuae, anno elapſo praeſtito, et pro omnibus beneficiis, praecipue pro lucis Evangelicae et agnitionis ſalutaris propagatione, devotiſſimas agimus gratias, eumque precamur, ut porro gregi ſuo praeſto ſit, et moenia Hieroſolymae exaedificet, verbique ſui praeconium ita benedicat, ut et inter eos, qui doctrinam Chriſtianam profitentur, et inter Judaeos, Turcas atque Gentiles permulti vocem ipſius audiant, et ex animo obſequantur. Scribebamus Halae Saxonicae ſub ipſa anni 1731. auſpicia.

FINIS.

LECTORI BENEVOLO.

Lector Amice,

ETsi in hujus Libri Correctione *Errata typographica* sedulo notavi ac accuratissime in melius mutavi; *quædam* tamen, licet *minuta*, in Libro reperies, quæ Emendationi tuæ sicut et Veniæ humiliter commendo.

S. M.

BRITISH MUSEUM